THESAURUS

SACERDOTUM

ET

CLERICORUM

EDITIO NOVA.

AQUILÆ,

EX TYPOGRAPHIA GROSSI

MDCCCXXXIX.

Pone Thesaurum tuum in praeceptis Altissimi, et proderit tibi magis quam aurum.

Eccl. XXIX. 14.

COLLECTOR

PIO LECTORI.

Grandis dignitas Sacerdotum, intonabat olim S. Hieronymus, *sed grandis ruina, si peccent; laetamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse.* Sacerdotalem igitur meditare gradum, Lector benevole, et attende quomodo *officium istud agitur quidem in terra*, ut Sanctus asserit Chrysostomus, *sed coelestibus negotiis continetur. Non enim homo, non Angelus, non Archangelus, non quaevis alia creatura; sed ipse Spiritus Sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne, ministerio fungi praestitit Angelorum.*

Quidni ergo Angelicam aemulabitur sanctitatem, puritatem, ac sedulitatem, qui ad tantam, tamque sublimem dignitatem, et ad onus ipsismet Angelicis humeris formidandum, vel anhelat, vel sese a Deo vocatum et electum contemplabitur? Eo spectat, Religiose Lector, hic praesens Thesaurus, ut tibi, scili-

cet, ad tam eximias partes viam aperiat, et quasi manu te deducat ad hoc sanctuarium, sicque finem statui tam sancto tamque sublimi maxime congruum valeas adipisci.

Haec erit igitur in instruendo isto opusculo nostri studii ratio.

1. Quoniam *Justus ex fide vivit*, ut nempe omnia opera tua in charitate fiant, subjicitur tibi Exercitium diurnum ad omnes diei actiones pie dirigendas et instituendas.

2. Quoddam tibi exhibetur Speculum, in quo praecipua, quae ad pietatem accendendam, Ecclesiasticumve decus ampliandum media conducunt, ex Scriptura, Ss. Patribus, Conciliorum Sanctionibus concinnata, et veluti depicta reperies: his accedent monitiones sancti Caroli Borromaei ad Sacerdotes et Clericos, in IV. Concilio Mediolanensi adumbratae.

3. Cum praestantissimum Sacerdotis munus sit offerre sacrosanctum Missae sacrificium, de eo copiosius disseritur: ejusdem ritus et caeremoniae indagantur et enucleantur juxta placita rerum liturgicarum peritorum, imprimisque SS. Dom. Nost. Pontif. Benedict. XIV. in praeclaro tractatu de Sacrificio Missae. Item et suppetunt tibi meditationes de praecipuis Christi in Eucharistia dotibus, ac orationes ante et post Sacrum ex Ss. Patribus depromptae, quibus et praeparationem, et gratiarum actionem piè persolvas

Denique cum Apostolus nos admoneat videre vocationem nostram; os Domini interrogare te

oportet, ut scias, ait S. Bernardus, *an vocatus veneris, et vocatus a Deo, cujus nimirum haec vocatio est.* Quod ut facilius praestes, subjicitur tibi ad calcem operis PARVUM OFFICIUM, pro obtinenda a Deo gratia perfecte cognoscendi excellentiam Ministerii Ecclesiastici, illudque rite adimplendi.

Nostrum qualemcumque laborem in coacervando et adornando praesenti isto THESAURO, aequo animo suscipe, BENEVOLE LECTOR; et ab affectu sincerae tuae pietatis, tuique progressus spiritualis maxime studioso profectum crede; ad majorem ejus honorem, cui servire regnare est, cuique LAUS ET GLORIA per infinita saeculorum saecula. Amen.

PARS PRIMA.

EXERCITIUM DIURNUM.

In (1) *omnibus operibus tuis praecellens esto:* ad istum apicem pervenies, si juxta normam ab Apostolo praescriptam, (2) *omne quodcumque facis in verbo et in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi* studeas facere, sine intermissione orans et levans puras manus Deo in omni loco. Huic assequendo fini comparatum est praesens exercitium diurnum: quod tibi suppeditat methodum omnibus diei actibus pie instituendis et dirigendis perutilem.

Monitum tamen te velim, OPTIME LECTOR, hoc exercitium non eâ mente fuisse adornatum, ut ad ea omnia quae continet, singulis diebus praestanda, te adstringas; sed ut illud repetitis vicibus attente legendo, tuum paulatim piis affectibus in eo subjectis animum imbuas, qui pro datâ occasione nec sine magno animae tuae emolumento, veluti sponte postmodum erumpent.

MANE SURGENDO.

℣℣. Ecce ego quia vocasti me. 1. *Reg.* 3. Domine, quid me vis facere? *Act.* 9.

---

(1) *Libri Eccli.* 33. (2) *Coloss.* 3.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Ps.* 142.

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum? *Ps.* 72.

Induendo Vestes.

℣℣. Nox praecessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. *Rom.* 13.

Exue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, et indue me novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis. *Ephes.* 4.

Indue me armaturam Dei, ut possim stare adversus insidias diaboli. *Ephes.* 6.

Recita sequentes Psal. de Laudibus Dominicae.

Ps. 62. Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.

Cantic. Benedicite omnia opera Domini Domino.

Psal. 148. Laudate Dominum de coelis.

ORATIONES.

Domine, Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tuâ nos hodie salva virtute: ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam

justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Domin.

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine, Deus Rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones, et actus nostros in lege tua, et in operibus mandatorum tuorum: ut hic et in aeternum, te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur Salvator mundi. Qui vivis et regnas.

Pater luminum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, concede propitius, ut non defrauder a die bono, et particula boni doni non me praetereat. Da spiritum bonum; ut videam quomodo caute ambulem, non quasi insipiens, sed ut sapiens, redimens tempus, quoniam dies mali sunt. Per Dominum.

ORATIONI MENTALI VACANDUM.

Cum anima Sacerdotis, et Clerici Altare sit in quo jugiter ardere debet ignis divini amoris, hunc ignem nutriri par est (1) *subjiciendo ligna mane per singulos dies.* Nimirum vel aliquam Dei perfectionem, aliquodve religionis nostrae mysterium contemplando, vel quasdam veritates afflante Spiritu Sancto prolatas mente revolvendo.

(1) *Levit.* 6.

Multi tam docte quam pie, hujuscemodi meditationum argumenta digesserunt, ad quae recurrere juvabit, interim ne tempus orationis inaniter teras, probatam methodum accipe.

Methodus Orationis mentalis.

Oratio Mentalis est mentis ad Deum per pium et humilem affectum elevatio ad exhibendum supremo numini religionis nostrae famulatum, divinumque ejus poscendum auxilium, ut ex sancto hujusmodi commercio meliores, Ipsique gratiores efficiamur.

Tres veluti partes in ea distinguntur. Praeparatio, corpus, et conclusio.

I.

In Praeparatione tria praestanda.

1. Coram Deo te sistere debes fidei actu, firmiter credendo eum ubique esse praesentem; in loco in quo degis versari; ipso denique intimo tuo tibi esse intimiorem. Quó inducaris ad supremum Religionis cultum illi praestandum, et cum summâ reverentiâ in conspectu hujus divinae Majestatis perseverandum.

2. Confitere te indignum esse, qui divino fruaris colloquio, tum quia e nihilo es, tum quia in Deum saepius deliquisti, delicta igitur tua actu contritionis expungere coneris; et ut securius coram Deo consistas (1) *vestibus valde bonis* fratris tui natu majoris, seu prae-

(1) *Genes.* 27.

tiosis meritis Domini nostri Jesu Christi indutus appare, per ipsum, et cum ipso, et in ipso orans Patrem coelestem, ut copiosam tibi omnium bonorum spiritualium benedictionem impertiri dignetur.

3. (1) *Quia non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; et* (2) *quid oremus sicut oportet nescimus*, Spiritus Sancti auxilium supplex deposce; (3) *ut ipse adjuvet infirmitatem tuam, et postulet pro te gemitibus inenarrabilibus.*

II.

Orationis Corpus in tria dividitur Puncta.

In primo. Meditationis argumentum considerare juvat respectu Christi Domini, attendendo quid cogitaverit, dixeritve, aut fecerit circa praesentem materiam, ipsius dicta, vel gesta, vel animi sensus, adorando, et cum sincera grati animi testificatione laudando, et amplexando; quibus actibus adjungi poterunt pii affectus admirationis, laetitiae, compassionis, etc. prout instituti ratio postulaverit; insuper sanctissimae Trinitati adorationem, et caetera religionis obsequia impendere curabis; maxime si vel aliquam Dei perfectionem, vel aliquam ejus personam contemplaris.

In secundo Puncto. 1. Meditationis propositum versa quantum ad te pertinet; nimirum quid ad tuum profectum spiritualem sit fugiendum, quidve praestandum sit perpendendo.

---

(1) 2. *Cor.* 3. (2) *Rom.* 8. (3) *Ibid.*

Ut vero efficacius et vitium declinare, et virtutem amplecti valeas, omni momentorum pondere animum tuum preme, et adige ad eas, in praesenti negotio, partes adimplendas, quae tui sunt officii.

2. Confer tuam agendi rationem cum tuis obligationibus, serio tecum reputans, num in hac parte muneri tuo defueris: haec vero disquisitio amplam tibi peccatorum, lapsuumve segetem patefaciet; ex quibus humilior factus, noxas praeteritas repetitis contritionis actibus absterge; pudore suffusus pro miserâ animae tuae praesenti conditione, ad emendationem vitae tuae pro viribus te accinge; caeterosque affectus elice peractis jam considerationibus consentaneos.

3. Tandem praeterita peccata tua mente revolvens, praesentisque infirmitatis tibi conscius, hoc solum habes residui ut oculos tuos ad Deum dirigas, supplex auxilium gratiae ejus imploraturus; quó ad meliorem frugem te recipias; ut autem istud impetres, ad merita Christi Domini confuge, insuper patrocinium sanctissimae Dei Genitricis, Angeli tui Custodis, et Sanctorum, in penuriae tuae subsidium, abs re non erit adhibere.

In tertio Puncto. Ut singularis illa, quâ Deus te misericorditer praevenit, gratia, in te vacua non sit; bona tibi statue proposita, eaque subjectae meditationi, et egestati tuae congrua: ne autem in fumum evanescant, non tantum generalia sint, sed specialia, tempori, loco,

et circumstantiis, in quibus versaris, accommodata: efficacitate suâ omnibus praevaleant impedimentis; et ad legitima te adigant adhibenda perfectionis media; demum ea ipsa comitentur, et tuae levitatis bene cauta suspicio, et firma in Deum fiducia.

III.

In Conclusione: tria pariter praestanda.

1. Grates Deo pro collatis tibi ab ipso in hacce meditatione beneficiis persolvendae.

2. Venia pro omnibus mentis evagationibus exoranda.

3. Rogandus Deus, ut sanctis tuis faveat propositis, diemque, vitam, et tuae mortis horam ipse fortunare dignetur.

Ut vero, sicut ait Psalmista, (1) *reliquiae cogitationis diem festum agant tibi*, ex piis affectibus, sanctisve cogitationibus, quibus in oratione permotus fuisti, quemdam veluti fasciculum spiritualem saepius per diem aspirandum tibi compones.

Absolutâ denique oratione, fidissimae Dei Genitricis tutelae te commendabis: rogans eam, ut sancta tua proposita, omnemque orationis fructum in te conservet, et ad hunc finem recitabis orationem: *Sub tuum praesidium, etc.*

(1) *Ps.* 73.

Oratio.

Ad invocandum in se vitam D. N. J. C.

O Jesu vivens in Maria, veni et vive in famulo tuo, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in perfectione viarum tuarum, in veritate virtutum tuarum, in communione mysteriorum tuorum: dominare omni adversae potestati, in spiritu tuo, ad gloriam Patris. Amen.

Notanda quaedam ad optatum fructum ex Oratione reportandum.

1. (1) *Ante Orationem praepara animam tuam*, cordis munditiâ, fuga peccati, aberrantes sensus tum internos tum externos recolligendo, et unam Dei gloriam, ac proprium profectum spiritualem intendendo. Tum orationis argumentum prospice, pridie ad vesperum illud attente legendo, et mane postero hujus praecipua capita summatim mente revolvendo.

2. Ipso orationis tempore, necessum non est omnes methodi actus percurrere, sed si in aliqua consideratione, vel sancta affectione utiliter distinearis, tamdiu in his persevera, quamdiù afflabit Spiritus Sanctus: insistendum tamen est potissimum postulationibus, affectibus, et propositis, in quibus orationis summa consistit.

3. Post orationem (2) *omni custodia serva cor tuum*, ne fructus orationis evanescat; noli

(1) *Eccli. 18.* (2) *Prov. 4.*

statim vehementiori ardore curis externis incumbere: et idemtidem sancta tua proposita animo revolve, ut ea pro opportunitate ad praxim redigere coneris.

HORÆ CANONICÆ RITE PERSOLVENDÆ.

Quisquis ad laudes Deo, nomine Ecclesiae, peragendas deputaris, pensare debes diligenter quam copiosa, et in toto vitae decursu, et in mortis articulo, te maneat meritorum seges, si tuas in tam praestanti officio partes exequaris: quam terribilia vero tibi impendant maledicta, (1) *si opus Dei facias negligenter.* Noli igitur cursim, et perfunctorie angelicum istud munus obire; sed omnes animi vires recollige, ut illud *digne, attente et devote* valeas adimplere.

1. Digne, videlicet Deo, (2) *in quem Angeli desiderant prospicere*; nec tamen suo te dedignatur gratificari colloquio.

Christo, Ecclesiae sponso, qui licet in coelestibus constitutus partes advocati, nostri ut tradit (3) B. Joannes num etiam, ageus, preces supplicationesque tuas, nomine sponsae suae paestitas, Deo Patri non cessat offerre.

Sanctis, quorum victorias et triumphos recolis, cum quibus coelesti propemodum cooptatus collegio, voce concordi divinos hymnos decantas.

---

(1) *Jer.* 48. (2) *1. Pet. 1.* (3) *Joan.* 2.

Sacris *Eloquiis* quae per os tuum assumis, in quibus suppetit tibi laudum thesaurus Deo condignarum; etenim, juxta sancti Augustini dictum, (1) ut bene ab homine laudetur, laudavit semetipsum Deus; et ideo quia dignatus est se laudare, invenit homo quemadmodum laudet eum.

Vocatione, quâ, ut sanctus asserit Chrysostomus, (2) pro universo terrarum orbe legatus intercedis, deprecatorque apud Deum adstas: ut hominum omnium, non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis, propitius esse dignetur.

2. Attente, non tantum lingua, sed et mente et spiritu psallendo, ut praecipiebat Apostolus.

Lingua, nimirum verba sancta non deglutiendo, media non praecidendo, ut admonet sanctus Bernardus, (3) nec integra transiliendo; sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces Sancti Spiritus depromendo.

Mente, quomodò enim, ait sanctus Cyprianus, (4) te audiri a Deo postulas, cum te ipsum non audias? Vis esse Deum memorem tui, cum tu ipse memor tui non sis? Adjunge igitur ad verba, cogitationem eorum quae Psalmo significantur; « Ora, inquit S. Au- » gustinus, (5) si Psalmus orat; geme, si ge-

(1) *Praef. in Psal. 114.* (2) *Lib. 6. Sac. c. 4.* (3) *Ser. 47. In cant.* (4) *De Orat. Dom.* (5) *In Psalm. 30.*

» mit ; si sperat, spera ; time, si timet ; gau-
» de, si gratuletur ».

Plurimum etiam juvabit, vel praestantiora Dei beneficia mente recolere, vel aliqua Religionis mysteria meditari ; praesto habes sequentibus versibus septem praecipua passionis Christi capita, singulis Horis canonicis accommodata.

Matutina *ligat Christum qui crimina solvit.*
Prima *replet sputis ; causam dat* Tertia *mortis.*
Sexta *cruci nectit ; latus ejus* Nona *bipertit.*
Vespera *deponit ; tumulo* Completa *reponit.*

3. Devote. Neque enim vocis duntaxat modulatione, et mentis attentione, sed devotione cordis debitum tuae servitutis pensum absolvere par est. Divinis igitur accensus eloquiis, omnes ex corde tuo pietatis et religionis affectus exaestuent.

Humilitatis nempe quoniam (1) *Respicit Dominus in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.*

Contritionis, quia (2) *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Ad eum enim spectat ista Spiritus-Sancti objurgatio, (3) *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?*

Fidei et Spei : etenim, sponsore Christo, (4) *Quidquid orantes petieritis ; credite quia accipietis, et fiet vobis.*

(1) *Ps. 101.* (2) *Eccl. 15.* (3) *Ps. 49.* (4) *Marc. 11.*

Charitatis demum, non enim clamans, sed amans cantat in aure Dei. Dilata ergo cor tuum, exopta omnes religionis et amoris affectus in te colligere, quibus Angeli et Sancti omnes in coelis effervescunt, et animae justorum in terra inflammantur. Provoca illos dicendo cum Psalmista (1) *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum*, vel, accine illis repetendo istud Apocalypsis sacrum *Epinicion*. (2) *Dignus es, Domine, Deus noster, accipere laudem, et gloriam, et honorem, et virtutem, et benedictionem, quia tu creasti omnia, etc.*

Ad hos devotionis sensus percipiendos maxime proderit hunc versum *Gloria Patri, etc.* pronunciare, veluti Thema et compendium omnis religiosi cultus qui sanctissimae Trinitati vel jam exhibitus, vel persolvendus est per infinita saeculorum saecula.

Oratio ante Officium.

Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum, munda quoque cor meum ad omnibus vanis, vagis, perversis, et alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente, ac devote, et integre hoc Officium recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinae Majestatis tuae. Per Christum etc.

---

(1) *Ps. 33.* (2) *Apoc. 4.*

Domine, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris laudes Deo Patri persolvisti, has tibi horas persolvo.

Oratio post Officium.

Sacrosanctae et individuae Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimae et gloriosissimae semperque Virginis Mariae foecundae integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita saecula saeculorum. Amen.

Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium; et beata ubera quae lactaverunt Christum Dominum. Pater. Ave.

ANTE EGRESSUM E DOMO, HOS VERSICULOS MENTE REVOLVE.

Mitte, Domine, Angelum tuum qui praecedat me, et custodiat in via. *Exod. 23.*

Cohibe pedes meos ne oberrent in plateis civitatis: *Eccle. 9.*

Averte oculos meos ne videant vanitatem. *Ps. 118.*

Averte faciem meam a muliere compta, ne forte scandalizer in decore illius. *Eccle. 9.*

Obtura aures meas ut non exaudiam vocem

incantantium, et venefici incantantis sapienter. *Psal.* 57.

Praesta ut aspectu, et auditu justus sim, habitans inter eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciant. 2. *Pet.* 2.

In ipso templi ingressu, ausculta Christum tibi ex intimo sacrario dicentem.

Pavete ad Sanctuarium meum, ego Dominus. *Lev.* 26.

Cum summa humilitate responde.

℣℣. Quam terribilis est locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli. *Genes.* 28.

Et quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? 1. *Reg.* 6.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. *Ps.* 65.

Domine, averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele. *Ps.* 50.

Adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo. *Ps.* 5.

Introibo in Domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quae distinxerunt labia mea. *Ps.* 65.

Ego autem ad dominum aspiciam, et expectabo Deum Salvatorem meum. Audiet me Deus. *Mich.* 7.

Methodum audiendae Missae, item et Exercitium sanctissimae communionis, abunde suppeditabit altera Pars hujus opusculi; interea candidatos Sacerdotii memores esse velim istius S. Concilii Tridentini sententiae; Sess. 23. c. 11. de Reformatione.

Ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum aetate, vitae meritum et doctrina major accrescat; quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt.

Post Missam. — Actus Consecrationis.

O Domine, quia ego servus tuus et filius ancillae tuae, abrenuntio Satanae et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus: tu solus Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum; tu solus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum, voluntatem, sanitatem, vitam, famam. Quidquid habeo, mihi largitus es; id totum tibi restituo, ac tuae prorsus trado voluntati gubernandum. Amorem tuî solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis; nec quidquam ultra posco. Per Dominum.

Oratio ad Christum.

Domine, Jesu-Christe, qui cum dilexisses tuos qui erant in mundo, in finem dilexisti eos: concede nobis ut, jugi sacrificio recolentes exitum conversationis tuae, te videamus in formâ Dei pium remuneratorem, quem habuimus in formâ servi misericordem convivam et fratrem. Qui vivis, etc.

Oratio Sancti Bernardi ad beatissimam Virginem.

Memorare, ô piissima Virgo Maria, non esse auditum à seculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentiâ, ad te venio, coram te gemens peccator assisto: noli Mater Verbi verba mea despicere, sed audi propita et exaudi. Amen.

Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Post regressum in domum.

℣. Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem. *Judith. 13.*

Oratio.

Absconde me, Domine, in abscondito faciei tuae, a conturbatione hominum: Protege me

in tabernaculo tuo a contradictione linguarum, quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum; et quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate; die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitates, et labor in medio ejus et injustitia; et non defecit de plateis ejus usura et dolus: vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde et corde locuti sunt. Domine, Pater et dominator vitae meae, ne derelinquas me in consilio eorum, nec sinas me cadere in illis. Per Dominum.

PIIS LECTIONIBUS AC POTISSIMUM SCRIPTURÆ SACRÆ INTENDENDUM.

Attende (1) *lectioni*, *exhortationi*, *et doctrinae*, ait Apostolus ad Timotheum; *insta in illis*: *hoc enim faciens*, *et teipsum salvum facies*, *et eos qui te audiunt*.

Primo. Quidem *teipsum salvum facies*. Quid enim sanctius, quid ad salutem magis proficuum, quam Deum ipsum, quam amicos Dei et Sanctos audire conversantes, et coelesti illorum frui colloquio? Porro vivunt isti, in operibus suis, Sancti et amici Dei sibi ipsis superstites; hic loquuntur et silent; hic audiuntur et tacent; hic interrogantur et muti respondent. Ipsi te docebunt, inquit S. Isidorus Hispal. (2) quid caveas, tibi ostendent

(1) *1. Tim. 4.* (2) *De contempt. Saec.*

quod teneas, quo tendas, quo sensus et intellectus augeatur: multum proficies eorum opera assidue versando; quia vita viri justi, pergit (1) Theodulphus Aurelian. lectione instruitur, ornatur, et munitur a peccato, juxta illum qui dicebat *in* (2) *corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi.* Haec sunt enim arma, lectio videlicet et oratio, quibus diabolus, expugnatur; sunt instrumenta quibus aeterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutriuntur.

Sed quid de Scripturis sacris eloquar, quae sunt, ut testatur (3) S. Greg. Mag. Epistola quaedam omnipotentis Dei ad creaturam suam, in qua supremi illius numinis arcana referantur? In ipsis multa ac varia recondita sunt salutis adminicula. Ignoras viam quam capere debes? (4) *Lucerna pedibus tuis verbum Dei*; ad fulgorem luminis huius incede, et securus ad metam pervenies. Insurgunt passionum procellae et animam conturbant? (5) *Sermo Dei vivus et efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad divisionem animae et corporis, compagum quoque et medullarum:* Extrahe gladium istum, et omnes cupiditatum radices resecabis. Supervenit aliqua prava cogitatio, et animum ad turpia sollicitat? Assume tubam, ait (6) S. Ephrem, scripturas

(1) *Capit. c. 3.* (2) *Ps. 118.* (3) *Lib. 1. Epist. Ep. 48.* (4) *Ps. 118.* (5) *Bed. 4.* (6) *Serm. de patientia.*

videlicet sacras; quemadmodum enim tuba sonans congregat milites, sic et divinae Scripturae ad nos clamantes cogitationes nostras congregant ad timorem Dei. Inter varia quibus distraheris implicamenta, animae tuae te fugit status et conditio? Adhibe Scripturam sacram, ibi te totum, inquit (1) S. Prosper, velut in speculo quodam refulgente considerans; quod in te pravum deprehenderis, corriges, quod rectum est, tenebis; quod deforme, compones; quod pulchrum, excoles; quod sanum servabis; quod infirmum, corroborabis.

At vero ut ex sanctis tuis lectionibus, salutares illos fructus reportes; ausculta S. (2) Bernardum suadentem tibi, ut ex eis quae legeris, aliquid quotidie in ventre memoriae dimittatur quod fidelius digeratur, et sursum revocatum, crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat. Noli demum (3) *auditor* vel lector *obliviosus esse, sed factor operis, non enim auditores* aut lectores *legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Illum potius imitare Diaconum, S. Ephrem dico, qui pingebat actibus paginam quam legerat. *Ennod. in ejus vita.*

Secundo. Sed *et eos qui te audiunt salvos facies.* Postquam enim meditatus fueris sapien-

(1) *De vita contemp.* (2) *Ad Fratres de monte Dei; c. 10.* (3) *Jacobi, 1.*

tiam, (1) *lingua* tua *loquetur judicium ; eructabit cor tuum verbum bonum.* Tunc (2) *amplecteris eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem*, tunc *potens eris exhortari in doctrina*, *et eos qui contradicunt arguere. Omnis* si quidem (3) *Scriptura divinitus inspirata*, non tantum *te instruet ad salutem*, sed et *utilis est ad docendum*, *ad arguendum*, *ad corripiendum*, *ad erudiendum in justitia*, *ut perfectus sit homo Dei*, *ad omne opus bonum instructus.* Sermo tuus sale isto condiatur, et bene sapidus erit, quando scilicet dices quod ex divina Lectione didiceris, non quod praesumptione humani sensus inveneris. Ex Scriptura a Spiritu Sancto afflata, veluti ex communi quodam sanitatis fonte, remedia vitiis omnibus curandis idonea depromes. Exacuantur in te malevolae peccatorum linguae, ingeminentur flagella ? (3) *habens solatio sanctos Libros*, (4) *in patientia possidebis animam tuam.* Sacerdos Dei Evangelium tenens, et Christi mandata custodiens occidi potest, vinci non potest. Sit igitur semper in manibus tuis, et diu noctuque mente revolvatur ; (5) tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat. Faxit Deus ut de te praedicetur, quod de Nepotiano testatur idem (6) S. Hieronymus : Lectione assidua, et meditatione diu-

(1) *Ps.* 36. (2) *Tit.* 1. (3) *Tim.* 3. (4) *Macab.* 12. (5) *S. Hier. Epist. ad Eustoch.* (6) *In Epitap. Nepot. ad Heliodor.*

turna, de peccatore suo fecit Christi Bibliothecam.

Oratio ante Lectionem veteris Testamenti.

Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis: ecce puer ego sum, puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum: sonet ergo vox tua in auribus meis; aperi mihi cor intendere his quae ad nostram doctrinam scripta sunt: ciba me pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris pota me; ut non te derelinquam fontem aquae vivae, fodiamque mihi cisternas dissipatas quae continere non valent aquas. Sint castae deliciae meae scripturae tuae, nec fallar in eis, nec fallam ex eis; sint in lege tua voluntas et meditatio mea die ac nocte, et ero tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Per Dominum.

Oratio post Lectionem veteris Testamenti.

Deus, qui dedisti mihi cum gaudio suscipere verbum tuum, da virtutem retinendi illud in corde bono et optimo, et fructum afferendi in patientia; ut non auditor obliviosus factus, sed factor operis obtineam benedictionem servi boni et fidelis, qui cognovit voluntatem Domini sui, et praeparavit, et fecit secundum voluntatem ejus. Per Dominum.

Oratio ante Lectionem novi testamenti.

Jesu, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundnm: scio quia ex Deo venisti magister, et viam Dei in veritate doces. Verba quae locutus es nobis, spiritus et vita sunt. Sed quis est dignus aperire librum et solvere signacula ejus? Nonne tu qui occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo? Da mihi ergo nosse mysterium regni Dei et investigabiles divitias tuas: explica mihi omnes thesauros sapientiae et scentiae Dei in te absconditos: sermo tuus capiat in me, lucerna sit pedibus meis, et lumen semitis meis; donec aspiret dies, et inclinentur umbrae. Qui vivis et regnas, etc.

Post Lectionem novi Testamenti

℣℣. Haec verba fidelissima sunt et vera.
Numquam locutus est homo, sicut hic homo.
Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam.
Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.

Oratio.

Salvator noster, cujus apparuit benignitas et humanitas erudiens nos ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et juste, et pie vivamus in hoc seculo; concede, ut qui te similem nobis foris agnovimus, per te intus reformari mereamur. Qui vivis, etc.

STUDIO INCUMBENDUM.

Quanta virtum Ecclesiasticum urgeat studii indefessi necessitas, haud aegre perspiciet, quicumque ad haec minitantia Dei verba serio attenderit: (1) *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* Quisquisve istud Apostoli praeceptum auscultaverit; (2) *Si quis videtur Propheta esse, cognoscat quae scribo vobis... Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Revera inquit idem Gentium doctor (3) *Presbyteri duplici honore digni habentur; modo tamen bene praesint, maxime si laborent in verbo et in doctrina.* Verum, quomodo recte praeerunt, quo pacto ad dispensationem verbi et doctrinae sese conferent, (4) *Si filios Heli, filios Belial* male aemulantes, *nescierint Dominum, neque officium-Sacerdotum ad populum*? Nonne magis ex illorum inscitia, et Religioni vulnus lethiferum infligetur, et populi strages infanda subsequetur, et gravissimum ipsismet impendebit exitium?

Dico Sacerdotum ignorantiam esse Religionis vulnus: namque (5) *scientiam non habentes discernendi inter sanctum et profanum*; haud dubie sanctuarium Dei polluetur, mensa ejus despectui habebitur, mysteria sancta conculcabuntur, et plenissima gratiae dissipabuntur fluenta. Ipsi demum idola facti in domo Domi-

(1) *Osee* 4. (2) *Cor.* 1. (3) 1. *Timoth.* 5. (4) 1. *Reg.* 2. (5) *Lev.* 10.

ni, plebem sibi commissam in multiplicem veluti idololatriam deturbabunt. Quemadmodum enim inquit (1) Pet. Damian. per Sacerdotum imperitiam, quos post captivitatem Israelitici populi Rex Assyriorum in urbibus Samariae constituerat, factum est quod scriptura testatur, (2) *unaquaequae gens fabricata est Deum suum posueruntque eos in fanis excelsis :* ita nunc per Pseudo-Sacerdotum ignorantiam fieri dolemus, ut scilicet alii quorum Deus venter est luxuriam colant; alii avaritiam quae est idolorum servitus venerentur; alii rapinis sacrilega devotione deserviant; et sic diversis criminibus tanquam simulacris et sculptilibus obsequium servitutis impendant.

Hinc claret quam horrenda populo sibi ipsis commisso strages immineat; audiamus Isaiam cladem istam graphice depingentem: (3) *speculatores ejus caeci... canes muti non valentes latrare... ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Porro quid fiet? *Omnes in viam suam declinaverunt unusquisque ad avaritiam suam.* Jam antea dixerat: (4) *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam; et nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit : propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absqne ullo termino.* Nonne etiam ad hos Clericos et Sacerdotes otio torpentes spectat et istud ejusdem

(1) *Opusc.* 27. *contra in scit. Cler.* (2) 4. *Reg.* 17. (3) *Isa.* 56. (4) *Isac.* 5.

Prophetae vaticinium? (1) *Omne caput languidum, et omne cor moerens.* En desidia et languor in Clero, qui teste S. Greg. Mag. pars est membrorum Christi prima: qualis ruina totum corpus invasura sit, enuntiant verba proxime sequentia. *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, sed vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligata, neque fota oleo, nec curata medicamine.*

Quam grave igitur manet eos exitium! Nonne supremus Pastor de manu Pastorum illorum sanguinem gregis sui requiret? Nonne ipsos ovibus deperditis, vel inedia confectis, animarum suarum jacturam facere oportebit? Ita profecto, Domino apud Matth. inclamante (2) *caecus si caeco ducatum praestet ambo in foveam cadunt.* Nimirum dum imperita manu flagitiosorum vulnera curare praesumunt, ipsi se cruentant, et vitiorum sordibus, quas abstergere satagunt coinquinantur. Imo, ut beatus ait Laurent. Justinian. (3) ignorantes discernere inter lepram, et lepram nescientes qualitates criminum, quantumque Deo displiceant, sine profectu poenitentis, proprio seipsos mucrone interimunt.

Verumtamen, inquit Apostolus, (4) *si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire.*

(5) Quicumque igitur, pergit S. Thomas,

(1) *Isa. 1.* (2) *Matt. 15.* (3) *De spirituali animae inter num. 15.* (4) *1. Cor. 8.* (5) *In cap. 8. 1. cor.*

haec verba commentans, habet scientiam et non modum ea utendi, habet scientiam insufficienter. Modus sciendi, inquit post S. Bernardum, est ut scias *Quo ordine? Quo studio? Quo fine scire quaeque oporteat?*

1. *Quo ordine? ut id prius quod maturius ad salutem.* (1) *Contentiones et pugnas legis devita*, inquit Apostolus, *sunt enim inutiles et vanae.* Profundiora Religionis mysteria ad trutinam rationis ne expendas; ausculta istud Spiritus-Sancti oraculum. (2) *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris... multos supplantavit suspicio illorum.* Hoc ipsum est quod praemonuerat in libro Proverb. (3) *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.* In hujusmodi quaestionibus, (4) *ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui* Insiste igitur Apostoli consilio. (5) *Dico*, inquit, *per gratiam quae data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

2. *Quo studio? ut id ardentius, quod efficacius ad amorem.* Noli igitur oscitanter ad studium te conferre, *sed amplectere eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem.* Quid est amplecti, inquit Doctor Angelicus in hunc tectum intendens? (6) Certe aliquid amplectens, illud diligenter constringit, et amplexus

(1) *Tit.* 3. (2) *Eccli.* 3. (3) *Prov.* 5. (4) *Ibid.* 22. (5) *Rom.* 12. (6) *In cap.* 1. *Tit.*

fit ex dilectione; oportet igitur te scientiae inhaerere cum amplexu; id est firma adhaesione animi et cordis dilectione, sed ita ardenter ut etiam efficaciter ad amorem, Jesum quaerendo in libris, ut factitabat S. Augustinus. Attende Apostolum, qui licet raptus fuisset *usque ad tertium coelum, ubi audivit arcana verba quae non licet homini loqui;* aiebat (1) *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum et hunc crucifixum.* Et rursum (2) *Et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam. . . .charitatem autem non habuero, nihil sum.* Nimirum ea sola utilis est scientia qua a Deo cognoscaris; porro (3) *Si quis diligit Deum hic cognitus est ab illo.*

3. *Quo fine? ut non ad inanem gloriam,* pergit Doctor Angelicus, *vel curiositatem velis scire aliquid, sed ad aedificationem tui et proximi. Noli igitur,* ait Apostolus (4) *intendere fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones magis praestant quam aedificationem quae est in fide.* Qui hujusmodi vacant, ii sunt de quibus itidem ait (5) *semper dicentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.* (6) Æmulare, inquit Pet. Blesens. ejusdem Apostoli consilio, charismata meliora, et in corde tuo devoret draco Moysis draconem Pharaonis, id est veritatis scientia, scientiam va-

(1) 1. *Cor.* 2. (2) *Ibid. 13.* (3) *Ibid. 8.* (4) *Tim. 1.* (5) *Tim. 3.* (6) *Epist. 114.*

nitatis; non enim ascendet in montem, neque stabit in loco sancto ejus qui in vano accepit animam suam. Noli demum de tua doctrina altum sapere, sed time, (1) *servus qui cognovit voluntatem Domini sui et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Verbo dicam, omni studio tuo satage, ut sis lucerna ardens et lucens in domo Domini: (2) est enim, ait S. Bern. tantum lucere vanum; tantum ardere parum; lucere et ardere perfectum. Caeterum si labor terret, merces invitet. (3) *Qui enim hac doctrina docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Oratio ante studium.

Deus scientiarum, Domine, sapientiae dux, et sapientium emendator, qui doces hominem scientiam, et linguas infantium facis disertas; et qui scientiam repellentes repellis, ne sacerdotio fungantur tibi: mitte sapientiam de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: nam et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Da mihi intellectum, ut mihi attendens et doctrinae, devitem profanas vo-

---

(1) *Luc.* 12. (2) *Serm. in Nat. S. J. Bapt.*
(3) *Dan.* 12.

cum novitates, oppositiones falsi nominis scientiae; fiamque operarius inconfusibilis recte tractans verbum veritatis, potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Da mihi scientiam Sanctorum; scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi; et idoneum fac me ministrum Novi Testamenti, ad dandam scientiam salutis plebi tuae, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Per eundem, etc.

Post studium.

Non sinas me, Domine, inflari scientia quae destruetur, sed da charitatem aedificantem quae nunquam excidit, ut non evanescam in cogitationibus meis, nec judicem me scire aliquid inter homines, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Per eumdem.

CIBI SUMPTIO SOBRIE ET PIE INSTITUENDA.

Sive (1) *manducatis*, *sive bibitis*, inquit Apostolus, *omnia in gloriam Dei facite.* In hunc scopum collineabis, si refectionem tuam moderetur numeris omnibus completa sobrietas, informet vero pietas bene sibi ipsi provida.

Nimirum, quod prius spectat, » quinque » nos modis, ait S. Gregorius (2) gulae vi-

(1) 1. *Cor.* 10. (2) *Lib. Mor. c.* 27.

» tium tentat; aliquando nempe indigentiae » tempora praevenit; aliquando vero cibos lau- » tiores quaerit: aliquando quaelibet sumenda » sint, praeparari accuratius expetit: aliquan- » do in ipsa quantitate sumendi mensuram mo- » deratae refectionis excedit: nonnunquam vero, » et abjectius est quod desiderat, et tamen in » ipso aestu immensi desiderii deterius peccat».

Haec omnia exemplis illustrat idem S. Doctor. « Mortis sententiam patris ore Jonathas » meruit, quia in gustu mellis constitutum » edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto » populus eductus in eremo occubuit, quia » despecto manna, cibos carnium petiit, quos » lautiores putavit. Et prima filiorum Heli » culpa suborta est, quod ex eorum voto, » Sacerdotis puer non, antiquo more, coctas » vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas » quaereret quas accuratius exhiberet. Et cum » ad Jerusalem dicitur, (1) *haec fuit iniqui-* » *tas Sodomae sororis tuae, superbia, saturi-* » *tas panis et abundantia*, aperte ostenditur » quod idcirco salutem perdidit, quia cum » superbiae vitio mensuram moderatae refe- » ctionis excessit. Et primogenitorum gloriam » Esau amisit, quia magno aestu desiderii vi- » lem cibum, scilicet lenticulam concupivit, » quam dum primogenitis praetulit, quo in » illam escam appetitu anhelaret, indicavit ». Haec omnia versiculus sequens complectitur.

(1) *Ezech.* 16.

Prepropere, *laute*, *nimis*, *ardenter*; *studiose*.

Primo vitio medeberis, si juxta regulam a Cassiano (1) propositam hanc tibi cautionem indicaveris, ut non potus quidquam, non esus ulla oblectatione devictus, ante communem refectionis horam, extra mensam percipere tibimet prorsus indulgeas; sed ne refectione quidem transacta, ex his praesumere tibi quantulumcumque permittas. Rationem hanc affert; qui enim gulae superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo aestus carnalis concupiscentiae valebit extinguere? et qui non valuit passiones in propatulo sitas parvasque compescere, quomodo occultas, nulloque hominum teste prurientes, moderatrice discretione, poterit debellare?

Secundum et tertium vitium praeoccupabis, si praescriptum ejusdem (2) Cassiani secutus, pro conditionis tuae modulo et decoro, eligas cibum, non tantum qui concupiscentiae flagrantis aestus temperet, minusque succendat; verum etiam qui ad parandum sit facilis, et quem ad comedendum opportuniorem vilioris pretii compendium praestet. Ergone patrimonium, quod sibi Christus tam laboriose comparavit, epulando splendide deglutires? Istud emit Salvator colaphis et flagellis, inquit B. Petrus Damianus, et tu consumeres illud cyathis et scutellis? Ipse morte crucis, tu in luxu carnis?

---

(1) *Lib. 5. de Spiritu Gastrimargiae.*
(2) *Ibid. c. 25.*

Aliquando tamen charitas persuadet, ut de consueta severitate aliquid remittamus ad recreandos hospites, vel necessitudine nobis conjunctos, quorum conversatio nobis proficua est, vel quibus consuetudine nostra prodesse possumus; non nunquam et necessitas et obsequium majoribus debitum exigunt, ut lautioribus mensis assideamus; sed quando hujusmodi respectus absunt, quantum in nobis est, hujusmodi lautitias, et condimentorum elaboratas blanditias, ut voluptatis illecebras repudiare debemus.

Quartum gulae morbum curabis, si tantum cibi sumas, quantum ad vires corporis, pro ratione status et officii quod exerces, corroborandas satis fuerit. Quod quidem experientia magistra disces et observabis, (1) ita tradit B. Basilius. Quoniam, inquit, innatum nobis corporis vehiculum, neque nimis laxando fraena, neque rursus immodice illa retinendo, ad virtutis cursum producere oportet: idcirco et corporum status et habitus explorare conveniet, ut valido quidem ac vegeto corpori fraena immittamus, et per inediam redundantiam caloris arceamus: senili vero et frigescenti cibi potusque adjumentum ad sustentandas vires ingeramus.

Quintum denique gulae vitium refraenabis, si nimiam cupiditatem coerceas, quae tam in vili quam in pretioso potest esse edulio; ali-

(1) *Lib. de vera Virgin.*

qua mora, ut suadet S. Clem. Alex. intemperantiam confitens. Etenim sapiens ait: (1) *noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam:* et Apostolus: (2) *carnis curam ne feceritis in desideriis vestris.*

Et vero sobrietatem istam coluerunt et ipsi Gentiles Philosophi: Ad majora natus sum, dictiabat Socrates, quam ut sim mancipium ventris mei. Actionem igitur tam vilem et abiectam, sanctisque omnibus adeo onerosam, praestantioribus virtutibus nobilitare studeas et consectare; sectare humilitatem et religionem; Dei benedictionem supplex deposce; et gratiarum ipsi actionem rependere ne praetermittas.

Humilitatem dico. Quanto enim pudore suffundi debet Christi Sacerdos, qui ad coenam nuptiarum Agni, ad comedendum panem Angelorum admissus, eo usque redactum se percipit ut cibo vescatur animalium?

Quanta cum *Religione* mensae debes accumbere, ubi de fidelium donis et oblationibus sustentaris? Nonne consentaneum esset ut in ea, velut in altari quodam, juge sacrificium offerres, in quo simul cum dapibus, gustus et cibi appetentia in locum victimae cederent?

Quam suppliciter *Dei auxilium implorare* debeas, ut in tam lubrico gradu tuto consistas; auctor est ipse B. Augustinus. (3) Quis enim est, Domine, inquit, qui non rapiatur ali-

---

(1) *Eccli.* 37. (2) *Rom.* 13. (3) *Lib.* 10. *Conf.* 31.

quantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum . . . his tentationibus quotidie conor resistere, et invoco dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refero omnes aestus meos, quia consilium mihi de hac re non stat.

Demum *gratiarum actionem* numquam esse omittendam docet Christus Dominus (1) exemplo suo. Suadent priorum saeculorum christiani, (2) *frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis collaudantes Dominum.* Praemonet ipsa mater Ecclesia, quae in hunc finem sequentes preces tibi praefixit.

Benedictio Mensae ante prandium.

Benedicite. ℟. Dominus. ℣. Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illis in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

Oremus.

Benedic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi: per Christum, etc.

Bened. Mensae coelestis participes facias nos Rex aeternae gloriae.

---

(1) *Matth.* 26. 30. (2) *Act.* 2. 46.

Ante Caenam, *loco* ℣. Oculi, *dicitur sequens.* Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi. Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc.

Bened. Ad coenam perpetuae vitae perducat nos Rex aeternae gloriae.

Gratiarum actio post prandium.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. ℣. Et Sancti tui benedicant tibi. Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis benificiis tuis; qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum. Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc. Pater noster, etc.

℣. Dispersit, dedit pauperibus.
℟. Justitia ejus manet in seculum seculi.
℣. Benedicam Dominum in omni tempore:
℟. Semper laus ejus in ore meo.
℣. In Domino laudabitur anima mea:
℟. Audiant mansueti et laetentur.
℣. Magnificate Dominum mecum:
℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc et usque in seculum.

℣. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Post coenam, *loco* ℣. Confiteantur, *dicitur sequens*. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se. Gloria Patri, etc.

Loco Orationis Agimus, *dicitur sequens*. Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui vivit et regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

SOLIS OBLECTATIONIBUS ET COLLOQUIIS LICITIS INDULGENDUM.

Sicuti arcum ubique semper tensum, ait Cassianus, (1) circumferri minime expedit, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque dispereat; ita nisi remissione quadam vigorem intentionis suae interdum animus relevet atque relaxet, irremisso rigore lentescens virtutis spiritus, cum necessitas postulaverit, non poterit obsecundare. Convenit igitur, ut probat S. Thomas 2. 2. Quaest. 168. factis vel dictis interdum uti quasi ad quamdam

(1) *Collat.* 24. *c.* 21.

animae quietem. Sed circa hujusmodi *tria videntur praecipue cavenda, quorum primum et potissimum est, quod praedicta delectatio non quaeratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus vel nocivis: secundum, quod non omnino gravitas animae resolvatur: tertium ut congruat loco, tempori, et personae, et secundum alias circumstantias debite ordinetur.*

Quod attinet ad primum; Ne his perversis sis coetibus, ut precipit Concil. (1) Agathense, admisceantur Clerici, ubi amatoria cantantur et turpia; aut obscoeni motus corporum choreis et saltationibus efferuntur, ne videlicet animus, auditus et obtutus sacris deputati Mysteriis, turpium cogitationum, spectaculorumve, atque verborum contagione polluantur. (2) *Stultiloquium, aut scurrilitas quae ad rem non pertinet, nec nominentur inter eos sicut decet Sanctos.* (3) Os suum Evangelio consecraverunt: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegum esset. Nec detractiones, nec maledicta, nec verba atrocia ea lingua proferat, quae divinis rebus assueta est et dominico corpore saepius consecratur. (4) Ne dicteriis aut mordacibus utantur salibus, ne-ve sacrae Scripturae verbis ad profanos sermones abutantur. Quomodo enim, addit B. Petrus Damia-

(1) *C.* 29. (2) *Eph.* 5. (3) *S. Ber. l.* 2. *de Cons. c.* 13. (4) *Syn. Aquens Tit. de vit et hones. Cler.*

nus, (1) ex ore Sacerdotis oratio ad Deum munda dirigitur, quod videlicet pravi sermonis sordibus coinquinatur? Aut quomodo inter Deum et homines lingua mediatrix efficitur, quae iram judicis ex proprio reatu et ipsa meretur? Certe si, ut evangelica tuba intonat, (2) *de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, de eo reddent rationem*; quanto districtius, reponit (3) S. Bernardus, de verbo mendaci, mordaci, injurioso, male adulatorio? Heu quid fiet de his de quibus loquitur Psalmista? (4) *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum. Molliti sunt sermones ejus sicut oleum et ipsi sunt jacula. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant; quorum os maledictione plenum est et amaritudine.*

Quod secundum spectat. Nimirum *ne omnino gravitas animae resolvatur.* In ipso joco, ait vel ipse Tullius, (5) aliquod probi ingenii lumen eluceat. Caveamus igitur, inquit B. Ambrosius, (6) ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam quasi concentum quemdam bonorum operum. Declinemus, addit autor de ordine vitae inter opera S. Bernardi, (7) ea omnia quae inflectere possunt gravitatem propositi nostri nostraeque profectionis: ea tantum veluti delibemus oblecta-

(1) *Ad Epis. Card. l. 2. Epi. 1.* (2) *Matth. 12.* (3) *Ser. tripl, custod.* (4) *Psalmis 51. 54. 13.* (5) *L. 1. de Offic.* (6) *Liv. 1. Offic.* (7) *C. 3.*

menta, (1) in quibus remittatur ad horam animus, non pertubetur, unde se facile mox, ut sibi ad se ipsum redeundum esse visum fuerit, expediat, sine controversia inhibentis voluntatis, absque contagione contractae delectationis, vel memoriae imaginantis.

Circa tertium habenda nempe est *ratio loci, temporis, personae;* 1. *Loci* quidem: noli igitur in publico et propalam oblectari, ne aliquid fiduciae, obsequii, et bonae existimationis apud Laicos tibi dispereat.

2. *Temporis*: Ne diuturnius iis immoreris quam necessum est ad intentionem mentis relaxandam. Noli igitur iis astipulari, de quibus sapiens: (2) *aestimaverunt lusum esse vitam nostram;* (3) *risus* enim *eorum dolori miscebitur, et extrema gaudii luctus occupabit:* luctus utique perpetuus: Quanto decentius cum Ecclesiaste senties? (4) *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi, quid frustra deciperis?*

Verum humanum dico propter infirmitatem; iis oblectamentis utere, sed modice et veluti pro condimento: sicuti enim ait Philosophus, pauxillum salis sufficit in cibo, ita modicum delectationis sufficit ad vitam: iis utere, ait Tullius, (5) tum quum gravibus seriisque rebus satisfeceris, non enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse

---

(1) *De vit. Solit. c. 8. apud eumdem.* (2) *Sap. 15.* (3) *Prop. 14.* (4) *C. 2.* (5) *Lib. 1. de Offic.*

videamur; sed ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque majora.

Ita quidem sapiebant Gentiles Philosophi solo rationis lumine ducti. Quanto satius est ut iis afficiantur consiliis Clerici et Sacerdotes, quorum maxima haec esse debet Philosophia, scire Jesum et hunc crucifixum; et post ipsum crucem bajulare?

Quanto magis hujusmodi animi sensus eos decent, quibus tantorum gratiae Mysteriorum dispensatio concredita est, ut vix eis aliquid residui temporis supersit, quod necessariae valeant permittere relaxationi?

3. *Personae.* (Personam intellige ratione status et conditionis); non enim quaelibet oblectamenta virum Ecclesiasticum decent, neque ei conceduntur. Eum scilicet sapienter arcent Canones et Statuta Synodalia, cujusque Dioeceseos, ab alearum, imprimisque taxillorum et cartharum ludis, nec non a venatione. In hujusmodi quaestionibus versandis nobis per praesens institutum diutius immorari non licet: adiri possunt autores qui ex professo ista disciplinae puncta agitavere: imprimisque aureus tractatus de Synodo Dioecesana (1) Benedicti XIV. qui tanta cum laude Ecclesiastici regiminis arcem tenet.

---

(1) *Lib. 7. c. 61.*

Ante oblectationem et quodlibet Colloquium.
Oratio.

Pone, Domine, custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis, ut non loquatur os meum opera hominum. Omnis sermo malus ex ore meo non procedat; sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet, nec nominentur in nobis sicut decet Sanctos; sed quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae. Sermo meus semper in gratia sale sit conditus, ut sciam quomodo me oporteat unicuique respondere; ut non alta sapiens, sed humilibus consentiens, et omnibus omnia factus, omnes faciam salvos. Amen.

Oratio ad Christum.

Domine Jesu Christe, qui ad informandum vita coelesti genus humanum, mira et ineffabili dignatione in terris visus es et cum hominibus conversatus es, da nobis, qeaesumus, tuami sanctissimam cum hominibus conversationem tanta devotione venerari, ut perfectam ejus imaginem in nostra exprimere mereamur. Qui vivis et regnas.

Post oblectationem et Colloquium.
Oratio.

Ne permittas nos, Domine, turbari erga plurima; sed ita dulcesce in cordibus nostris, ut dum necessitas est in locutione nostra, gaudium nobis sit in auditione tua. Per. Dominum.

Ejaculationes saepius per diem faciendae, ad cognoscendam Dei voluntatem.

Loquere, Domine, quia audit servus tuus, 1. *Reg.* 3.

Domine, cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. 2. *Par.* 20.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Ps.* 16.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. *Ps.* 24.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps.* 56.

Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum? *Ps.* 61.

Mihi adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. *Ps.* 72.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. *Ps.* 85.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. *Ps.* 143.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Ibidem.*

Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. *Thren.* 3.

Deus patrum nostrorum, et Domine misericordiae, da mihi assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis. *Sap.* 9.

CONSCIENTIA DISCUTIENDA.

Inter omnia quae ad perfectionem conducunt media, vix ullum reperias tam praestans, et in scripturis, vel apud S. Patres, ac scriptores asceticos commendatum magis atque probatum, quam ut unusquisque quotidie in semetipsum inquirat, omnesque conscientiae suae sinus et recessus exploret; omnia opera, verba et cogitata, quae per diem exciderunt, vespere potissimum, ad strictam Evangelii vocationisque suae trutinam revocando: (1) *Scrutemur*, inquit Propheta, *vias nostras, et quaeramus, et revertamur ad Dominum.*

Numquid decet filios seculi hujus in consiliis suis filiis lucis prudentiores esse? Ecce negotiator secularis, ait S. Ephrem, (2) damna et lucra qnotidie computat; et si damna perpessus fuerit, ea resarcire sollicite studet. Sed et tu negotiator spiritualis es, negotiator utique aeternitatis, diebus itaque singulis diligenter considera quo pacto negotiatio tua et mercaturae ratio sese habeant.

---

(1) *Thren.* 3. (2) *Serm. Ascet. de vita religiosa.*

Quam utilis, imo quam necessaria sit ista scrutatio, facile percipies si attenderis ex ea veluti religatam pendere scientiam illam tam sublimem, simul tam abstrusam, quae est noscere te ipsum; cor enim hominis inscrutabile sibi ipsi aenigma est, nisi; vigilanti custodia ad interiora rediens, quotidie profectus suos penset atque defectus.

» Sed et si tunc, ut testatur S. Chrysosto-
» mus (1), peccata tua supputaveris, et ab
» illis cito liberaberis, et in alia non facile
» incides; anima enim esternum verita judi-
» cium, ne eamdem rursus subeat sententiam,
» si pungatur et flagelletur, reddetur ad pec-
» catum tardior, et sic in perfecto virtutis
» habitu teipsum constitues »: si vero exul et profugus e domo tua, numquam aut rarius tecum habitaveris, et ospitiolum cordis tui non ingrediaris, quid de eo fiet? nisi quod praefatur sapiens: (2) *per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticae, et operuerunt superficiem ejus spinae, et maceria lapidum destructa erat.*

Demum hujusce inquisitionis emolumentis cumulum addit Apostolus his verbis, (3) *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur;* unde merito exclamat S. Bernardus, quam bonum est istud judicium quod districto Dei judicio me subducit! volo vultui irae ju-

(1) *In Psal.* 4. (2) *Prov.* 24. (3) *1. cor.* 11.

dicatus praesentari non judicandus, quia non bis judicat in idipsum.

Quomodo rationem illam tecum instituas, viam aperit ipse Propheta brevi quidem isto, sed pleno sententiis versiculo: (1) *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines et dirige cor tuum in viam rectam.* Implorato igitur Dei auxilio, omnibus tum naturae, tum gratiae collatis tibi beneficiis ad splendorem divini luminis consideratis: qui quidem actus in omni supplicatione nostra digniorem ac Deo acceptiorem conficiunt prologum.

1. *Statue tibi speculam.* Videlicet supremam mentis tuae arcem conscendens, ibique veluti ex alto despiciens omnes animae tuae obmurmurantes passiones et sensuum tuorum evagationem compescens, multa pace tecum fruens: considera, inquit Hugo a S. Victore, (2) quibus affectionibus frequentius tangeris, quibus cogitationibus magis incusaris, quibus tentationum machinis a maligno spiritu frequentius impugnaris: attende unde venis, quo tendis, quid agis, quid omittis, quantum quotidie proficis vel deficis, quomodo Spiritus Sancti motibus obsequaris vel resistas.

Tibi ipsi dicito, addit S. Ephrem, (3) putasne in aliquo Deum exacerbavi? Numquid verba otiosa protuli? Num inter orandum minus attentus fui? Num per contemptum negligentiamve peccavi? Num fratrem irritavi? Num

(1) *Jerem. 31.* (2) *L. 3. de anima.* (3) *Supr.*

alicui detraxi? Numquid improbae et sordidae cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum? Omnibus itaque animae tuae sordibus veluti in angulo cordis collectis, ad exemplum Prophetae cujus vox ista erat: (1) *Exercitabar et scopebam spiritum meum.*

2. *Pone tibi amaritudines.* Ejusdem Prophetae vestigiis insistens, quoniam iniquitates tuas ipse cognoscis et peccata tua stant contra te; hujusmodi noxas fletibus et gemitibus tuis studeas detergere. Dic Deo tuo: (2) *Domine, ne intres in judicium cum servo tuo quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ecce anima mea turbata est intra me et adhaesit pavimento; vivifica me secundum verbum tuum.* (3) *Numquid in aeternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut obliviscetur misereri Deus aut continebit in ira sua misericordias suas?* Tum de Dei bonitate bene confidens, conclude cum eodem Psalmista: *Dixi* (4) *nunc coepi, haec mutatio dextrae Excelsi.* Itaque

3. *Dirige cor tuum in viam rectam*, lapsus tuos ab ipso fonte sedulius investigando, ut illorum rivulos valeas exsiccare. Ad quos offendisti scopulos observa; ut illos denuo praecaveas: imminuta animae tuae loca perpende, ut novis illa munitionibus circumvalles: tanquam strenuus miles ad vitiorum profligationem, a quibus sauciatus es, te accinge, istud

(1) *Ps.* 76. (2) *Ps.* 142. (3) *Ps.* 76. (4) *Ibid.*

Psalmistae ad pugnam sese adhortantis iterans, (1) *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant.*

Demum, in rectum virtutum tramitem a quo declinasti, rursum ingredi ne moreris. Sed cum vana sint consilia tua, nisi Deus illa foecundare dignetur; leva oculos tuos ad ipsum, unde veniet auxilium tibi, istam Judith precationem ingeminans: (2) *Confirma me, Domine, Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum ut, sicut promisisti, Jerusalem Civitatem tuam*, (seu animam tibi devotam) *erigas: et hoc quod credens per te fieri posse cogitavi, perficiam.*

Praeter istam generalem conscientiae indagationem, aliam praescribunt piae et devotae vitae Doctores, quam *examen particulare* vocant, hoc est, certamen veluti singulare adversus vitium aliquod praecipuum; vel pia ad aliquam speciatim virtutem exercitatio. Hujus sanctae praxis artificium mirifice Cassianus evolvit.

» (3) Unusquisque, inquit, vitium quo maxime infestatur explorans, illud adversus » arripiat principale certamen, omnem curam » mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens; contra illud crebra cordis suspiria et gemituum » tela contorquens; adversus illud cunctos labores ac meditationes sui cordis impendens;

(1) *Ps. 17.* (2) *Judith. 13.* (3) *Col. 5. c. 14.*

» indesinentes quoque orationum fletus ad Do-
» minum fundens, et impugnationis suae extin-
» ctionem, ab illo specialiter et jugiter po-
» scens ».

Nec etiam abs re erit damna lucra ve sua sedulo annotare, diem cum die, hebdomadem cum hebdomade, mensem cum mense conferendo; ut sciat quantum profecerit vel defecerit (1): *si omni anno*, ait pius auctor imitationis, *unum vitium extirparemus*, *cito viri perfecti efficeremur.*

Rursum, pergit ibidem Cassianus, « Cum
» se a priori vitio senserit absolutum, late-
» bras sui cordis simili intentione perlustret,
» et exploret quam passionem inter reliquas
» perspexerit diriorem, atque adversus eam
» specialius omnia spiritus arma commoveat;
» et ita semper validioribus superatis, cele-
» rem de residuis habebit facilemque victo-
» riam; quia et mens triumphorum processu
» reddetur fortior, et infirmior pugna (ex
» parte pravorum affectuum) succedens, prom-
» ptiorem ei proventum faciet praeliorum ».
Quod de vitiorum profligatione profert Cassianus; id de virtutum consectatione dictum existima.

Actus contritionis juxta exemplum S. Mariae Magdalenae.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte

(1) *Lib. 1. c. 11.*

peccata mea, quibus te, amantissime Jesu, toties ad iram provocavi? Ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eosque ex animo amplector et exosculor, tuam supplex misericordiam implorans. Parce, Domine, parce peccatis meis; quae utinam tam largo lacrymarum imbre, quam peccatrix illa, possem eluere! Horum defectum, mi Jesu, roseo tuo, quem pro me copiosissime fudisti, sanguine compensa. A pedibus tuis non discedam; hos firmiter tenebo tamquam salutis meae anchoram, nec dimittam donec benedixeris mihi, et illa audiam summae consolationis verba: *Remittuntur tibi peccata multa, quoniam dilexisti multum.* Luc. 7.

Sanctissimae Dei Genitrici sui ipsius dedicatio.

O Domina mea sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo, omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo: ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem.

EXUENDO VESTES.

Quis indicavit tibi quod nudus esses; nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes comedisti? *Genes.* 3.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuae. *Apoc.* 3.

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induite novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum. *Coloss.* 3.

Non in cubilibus et impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom.* 13.

Recita sequentes Psalmos.

Ps. 4. Cum invocarem exaudivit me Deus, etc.

Ps. 15. Conserva me, Domine, quoniam speravi in te, etc.

Ps. 50. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam, etc.

Evigilando per noctem.

Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte; nequando dicat inimicus meus: praevalui adversus eum. *Ps.* 12.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus illumina tenebras meas. *Ps.* 17.

Dominus illuminatio mea et salus mea: quem timebo? *Ps. 26.*

Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo, in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. *Isaiae 26.*

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc. 1.*

Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. *Ephes. 5.*

Mane astabo tibi et videbo; quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. *Ps. 5.*

DIVERSÆ ORATIONES.

Oratio ad B. Virginem pro obtinenda a Deo gratia cognoscendi et adimplendi voluntatem ejus.

Virgo benedicta inter mulieres, quae ab aeterno electa es et benedictionibus dulcedinis praeventa, ut per te daretur mundo magni consilii Angelus. Per te manifestetur mihi omne consilium Dei in me; ut probans quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta, conservem omnia verba ejus conferens in corde meo, quodcumque dixerit mihi faciam. Attrahe in me spiritum veritatis quem, perseverantibus tecum in oratione, promeruisti Apostolis; ut sciens quia in his quae Patris mei coelestis sunt oportet me esse, continuo non

acquiescam carni et sanguini, sed corde magno et animo volenti dicam patri meo et matri meae: nescio vos, et fratribus meis: ignoro vos. Dic, obsecro te, filio tuo quod mater mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tui. O Mater pietatis et misericordiae non dedigneris appellare filium, quem dilectissimus unigenitus tuus non confunditur fratrem vocare! Plena es gratiarum et deliciis affluens; manum ergo tuam aperi inopi, et palmas tuas extende ad pauperem: ciba mendicum tuum de supereffluenti mensa tua, tuarumque virtutum vestibus valde bonis indue me; ut non intrem ad nuptias Agni non habens vestem nuptialem, sed divino conspectui gratus appaream, et odor meus odor sit agri pleni cui benedixit Dominus. Amen.

Ad Angelum Custodem.

Minister Altissimi, potens virtute et faciens verbum illius ad audiendam vocem sermonem ejus, tibi Deus mandavit de me, ut custodias me in omnibus viis meis: in manibus ergo porta me, ut non incidam in tentationem et in laqueum diaboli; ipse enim circuit quaerens quem devoret, et ecce jam invadit me: fidelissime Custos, praeveni eum et supplanta eum. Dirige gressus meos, et deduc me super semitas justitiae, ut ambulem in via bona, et calles justorum custodiam. Est enim via quae videtur homini recta, novissima autem ejus

ducunt ad mortem: praecede me et custodi in via, nec dimittas cum peccavero, et introduc in locum quem paravit Dominus, ut nihil faciam in alteram partem declinando, sed ita observem te, et audiam vocem tuam, ut umilibus consentiens, et diligens cordis munditiam, haereditatem capiam salutis. Amen.

Ad S. Patronum.

Sancte N. qui, licet jam de tua immortalitate securus sis, adhuc tamen de mea sollicitus es: adjuva orationis suffragio, quem erudisti conversationis exemplo. Vere etenim possum in vita tua tanquam in speculo et videre quid corrigam et eligere quid sequar. Fuisti similis mihi passibilis, circumdatus infirmitate et tentatus per omnia; sed, in charitate radicatus et fundatus, calcasti mundum furentem, sprevisti blandientem et vicisti malignum. Pater mi, Pater mi, obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus ut imitator tui sim, sicut et tu Christi. Trahe me post te; curram in odorem unguentorum tuorum, memoria enim tua in compositionem odoris, facta opus pigmentarii. Ex qua die consepultus sum cum Christo per Baptismum in mortem datus es mihi testis et custos propositi mei. Deprecor ergo te, ut adjuves me in orationibus tuis pro me ad Deum, ut teneam spei meae confessionem indeclinabilem; et satagens ut per bona opera certam meam vocationem et electionem faciam, ad de-

stinatum persequar, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Jesu. Amen.

Oratio Clerici sola Tonsura initiati.

Domine Jesu Christe, qui initiasti nobis viam novam et viventem per velamen, id est carnem tuam in introitu sanctorum: da leges tuas in corde meo, et in mente mea superscribe eas, et iniquitatum mearum jam non recorderis amplius. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei; in quocumque enim loco fueris, Domine, mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas; unde et ego in simplicitate cordis mei laetus offero meipsum. Domine, Deus patrum nostrorum, custodi in aeternum hanc voluntatem cordis mei et semper in venerationem tui mens mea permaneat. Numquam sit in me consilium discedendi a Deo vivo, nec te relinquam diligens hoc seculum: sanctifica me in veritate, ut sim sanctus corpore et spiritu, utens hoc mundo tanquam non utens, et solummodo sollicitus quomodo placeam tibi, ut sis portio mea in terra viventium. Amen.

Oratio Clerici in Minoribus Ordinibus constituti.

Tu solus, Domine Jesu Christe, habes clavem David, aperis enim, et nemo claudit; claudis, et nemo aperit. Tu solus aperis sensum, ut intelligamus scripturas. Tu solus in potestate imperas spiritibus immundis. Tu lux mundi, quam qui sequitur, non ambulat in tenebris. Confice me zelo domus tuae, ut stans jugiter ad ostium tabernaculi, et observans custodias Domini nocte et die, prohibeam profanari Templum gloriae tuae. Revela oculos meos, ut legam in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum. Contere Satanam sub pedibus meis velociter: et praesta ut sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona, et glorificent Patrem meum qui in coelis est. Amen.

Oratio Subdiaconi.

Domine Jesu Christe, qui sanctificari vis in iis qui appropinquant tibi, et mundari eos praecipis qui ferunt vasa Domini: continentiam jubes, da quod jubes, et jube quod vis; quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Munda me ergo ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut perficiam sanctificationem meam in timore Dei: non praesumam circumdare altare tuum, aut tangere vasa quae ad usum

Sanctuarii pertinent, nisi lavero inter innocentes manus meas, et fulserint velut mundissimae manus meae, nequando irascaris indignatione contra me, et percutias me super temeritate. Qui vivis, etc.

Oratio Diaconi.

Domine Jesu Christe, sanctorum minister et tabernaculi veri quod fixit Deus et non homo, qui quos costituerent Apostoli tui super Leviticum opus, viros plenos Spiritu-sancto et sapientia eligi voluisti; et qui me non meis meritis intra eorumdem Levitarum numerum dignatus es aggregare, da mihi et omnibus qui tanto ministerio gloriantur, vigili sollicitudine pauperum tuorum curam habere, ut singulis, prout cuique opus est, dividantur bona tua: da Spiritum Sanctum ad robur quibus commisisti consummandorum consortium sacramentorum: da habere Mysterium fidei in conscentia pura; et calceatos pedes in praeparatione Evangelii pacis, ut dignos nos facias in partem sortis sanctorum in lumine. Qui vivis, etc.

Oratio Presbyteri.

Domine Jesu, Apostole, et Pontifex confessionis nostrae, semper vivens ad interpellandum pro nobis: qui cum essem parvulus in oculis meis, ex hominibus assumpsisti me, et

pro hominibus constituisti me in iis quae sunt ad Deum, ut offeram dona et sacrificia pro peccatis, et condolere possim iis qui ignorant et errant: emunda, quaeso, per sanguinem tuum conscientiam meam ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, et sanctifica me in veritate; ut sacrificia mea consumantur igne quotidie, et tibi confixus cruci immoler ipse supra sacrificium. Fac ut bonus dispensator multiformis gratiae Dei, in membra tua illam administrans, impendam et superimpendar ipse pro animabus fratrum meorum, servorum tuorum, et concede ut te clarificans super terram, et opus consummans quod dedisti mihi ut faciam, ubi es tu, et ego sim tecum, ut videam claritatem tuam quam dedit tibi Pater, quia dilexit te ante constitutionem mundi. Qui vivis et regnas, etc.

Oratio Pastoris.

Clementissime Domine Jesu Christe, Pontifex aeterne, qui me indignum famulum tuum, ignorantem egressum et introitum meum, ad functionem muneris Apostolici vocare dignatus es; ut oves hujus ovilis salutaris pabulo doctrinae pascerem, et Ecclesiae huic quam tuo pretioso sanguine redemisti, in his quae ad te sunt praeessem. Horreo et toto corpore contremisco, quoties considero quis ego sim, et quid requirat onus, quod infirmis humeris meis incumbit. Qui enim pro una et sola animula

mea rationem non possum reddere, pro toto hoc grege quomodo reddam? Quid ego infelix? Quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum illud quod tibi sanguine proprio comparasti, contingat me negligentius custodire? Si stillantem in cruce sanguinem tuum collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod portare saepius oporteret, quid animi habiturus essem in tanto discrimine? At certe pretiosum illum sanguinem quem tu, mercator non insipiens, imo ipsa Patris sapientia, in pretium animarum dedisti, servandum accepi a te, Domine, idque in vasis fictilibus et quovis vitro fragilioribus. Impares sunt sane humeri mei tanto oneri, si meas vires respiciam: impeditioris et tardioris linguae sum, nescio loqui, puer sum, et regi quam regere magis idoneus. Obsecro igitur te principem Pastorum et nostrum Archiepiscopum, qui nullum vocare soles ad aliquod munus obeundum, cui non etiam eas largiaris dotes, quibus ornatus et instructus digne opus ad quod vocatus est perficere possit: me etiam inutile sarmentum insere in te qui es vitis vera; ut fructus feram uberrimos. Da servo tuo cor docile, ut voluntatem tuam annuntiem populo tuo. Da mihi amplecti eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem; ut potens sim exortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Verbum veritatis ne auferas ab ore meo, et da mihi gratiam, ut ferventi spiritu eloquar illud, ne aures

tantum feriat, sed cor penetret et fructum optatissimum afferat. Renova vitam meam, et mores meos in melius commuta; ne, dum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Tolle a me superbiam, iracundiam, sensualitatem et turpis lucri cupiditatem. Largire hospitalitatem, benignitatem, sobrietatem, justitiam, sanctitatem et continentiam; ne ulli hominum scandalum praebeam, aut blasphemandi verbum tuum occasionem offeram. Concede mihi spiritum, quo oves meas in visceribus tuis diligam, nec aliter tractem, quam mater unicum, quem habet filium, tractare soleat; nulla infirmetur, cum qua ego non infirmer, nulla scandalizetur, et ego non urar; libentissime mea omnia impendam, et superimpendar ipse pro animabus earum. Juva me, Domine, ut quod infirmum est, consolidem; quod aegrum, sanem; quod confractum, alligem; quod abjectum, reducam; quod perierat, requiram: quos credidisti mihi, custodiam, et unus ex eis non pereat. Sanctifica nos in veritate, sanctificator hominum benignissime, atque illos ab omnibus inimicis et adversitatibus corporis et animae custodi; sic mihi obtemperent, sic me diligant; ut sit rationabile obsequium eorum, et vias christiano dignas ambulent; ut ego et verbo et exemplis eos praecedens, et illi me sequentes, pariter curramus ad te verum animarum nostrarum Pastorem, qui nos in loco pascuae collocabis, ubi vivis et regnas, etc.

Deprecatio pro Illustrissimo et Reverendissimo in Christo Patre et Antistite nostro.

Pastorum princeps Christe, qui posuisti Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisisti sanguine tuo, exaudi preces servorum tuorum et respice propitius ad famulum tuum Antistitem nostrum N. In aeternum serva illi misericordiam tuam et testamentum tuum fidele ipsi. Sanctifica eum in veritate, et abundet in spe et virtute Spiritus Sancti: memor sis omnis sacrificii ejus, et holocaustum ejus pingue fiat; ut sequester et medius sit inter te et populum tuum omni tempore, et ascendat ex adverso, opponatque murum pro domo Israel. Da viro dexterae tuae contra inimicos tuos potentiam et indue illum virtute ex alto; ut valeat irrumpere iniquitates, non respiciens personam hominum, sed in promptu habens ulcisci omnem inobedientiam, et destruere omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei; ad nihilum deducatur in conspectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificet, et sit honorabile nomen eorum coram illo. Oves tuae vocem ejus audiant, et subjaceant illi; ipse enim pervigilat quasi rationem pro animabus nostris redditurus, ut cum gaudio hoc faciat et non gemens, hoc enim non expedit nobis. Tu qui corda nosti omnium, ostende filio hominis, quem confirmasti tibi, quos elegeris accipere locum ministerii; ut neque volentis neque currentis ratione habita,

eos tantum in partem ministerii adsciscat, quibus datum est a Patre: ut dum Sacerdotalem gentem per eum multiplicas, Ecclesiae tuae magnificetur laetitia, et de profectu sanctarum ovium fiant aeterna gaudia Pastoris. Amen.

Gemitus animae pro conversione Sacerdotum aberrantium a pietate.

Benignissime Jesu, tradite Sacerdotibus et impiis ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum, Sanguis quem effudisti clamat ad te, ut intuearis et respicias opprobrium Ecclesiae, quam dilexisti, et pro qua teipsum tradidisti, ut illam sanctificares et exhiberes tibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus, et egressus est a sponsa tua decor ejus propter peccata Prophetarum ejus et iniquitates Sacerdotum ejus: conjuratio enim ipsorum in medio ejus, sicut leo rugiens rapiensque praedam, animas devorat, contemnit legem tuam, polluit Sanctuaria tua; inter sanctum et prophanum non habent distantiam, a sabbathis tuis avertunt oculos suos, et coinquinaris in medio eorum. Omnes isti aes, et stannum, et ferrum et plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt, non circa altaris officia dediti, sed contempto templo et sacrificiis neglectis, implicant se negotiis saecularibus et festinant par-

*

ticipes fieri conviviorum, ludorum et scurrilitatis, nihil habentes dignum Sacerdotio: mensa, quam parasti in conspectu nostro adversus eos qui tribulant nos, sit ipsis in laqueum et in retributiones et in scandalum: quia offerunt panem pollutum, ignem alienum super Altare tuum. Quanta malignatus est inimicus in sancto! Quid est quod dilecti tui in domo tua faciunt scelera multa? O mi Jesu! Demoliti sunt vineam tuam, conculcaverunt partem tuam; dederunt portionem tuam desiderabilem in desertum solitudinis, retrahunt homines a sacrificio, scandalizant plurimos in lege, et per eos nomen tuum jugiter tota die blasphematur in Gentibus: dedisti eos contemptibiles et humiles omnibus populis; et ecce iniquitas eorum facta est confusio populi tui; etenim propter eos facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt. Domine, judex noster, Domine, legifer noster, Domine, Rex noster, quando respicies? Restitue Ecclesiam tuam a malignitate eorum, a filiis Belial sponsam tuam: leva manus tuas in superbias eorum, et quia gloriati sunt, qui oderunt te, in medio solemnitatis tuae imple facies eorum ignominia; ut quaerant nomen tuum. Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam; converte manum tuam ad eos et excoque ad purum scoriam eorum: et aufer omne stannum eorum, restitue ministros tuos ut fuerunt prius, et Christos tuos sicut antiquitus: ingrediatur in eis ignis a Domino:

ignis, inquam, non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens: esto illis quasi ignis conflans et quasi herba fullonum: purga filios Levi, et cola eos quasi aurum, et quasi argentum: sint tibi offerentes sacrificia in justitia; placeat Domino sacrificium Juda et Jerusalem, sicut dies seculi, et sicut anni antiqui: ubi abundavit delictum, superabundet et gratia; et qui hactenus fuerunt ovibus tuis odor mortis in mortem, sint ipsis odor vitae in vitam: omnes qui viderint eos, cognoscant illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Amen.

Orationes pro universo Clero.

Deus, qui ad excolendum agrum tuum hominibus plantatoribus et rigatoribus ita uteris; ut des solus incrementum, da gratiam tuam adjutoribus tuis; ut profectu eorum manifesto, seipsos salvos faciant et eos qui ipsos audiunt. * Ministros augusti sacrificii fac nos tibi Deus totos consecrari et devoveri, ut qui in partem venimus Sacerdotii unigeniti filii tui, ejusdem etiam oblationis et sacrificii pars esse mereamur; * Quos elegisti et posuisti, Domine, ad pascendum Unigeniti tui carne et sanguine populum tuum, fac Ministros tuos omnes eumdem cum Filio tuo cibum habere; ut faciant voluntatem tuam, et impigre ac sincere opus tuum perficiant. Per Dominum, etc.

Confessio peccatorum peragenda.

Quandoquidem, juxta Spiritus Sancti oraculum, (1) *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est:* ad salutarem poenitentiae piscinam saepissime recurrere operae pretium est; ut, omnibus conscientiae sordibus abstersis, castis dilecti animae nostrae sponsi frui mereamur amplexibus

Nimirum sacramentum hoc, ille ipse fons esse videtur de quo vaticinatus est Zacharias his verbis: (2) *In die illa erit fons patens domui David, et omnibus habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris*, fons utique justitiae, *et aquae salientis in viam aeternam.*

Illud est omnipotentis medici conclave, in quo remedia omnibus animae morbis et vulneribus sanandis comparata reperies, remedia, inquam, ipsomet pretioso et efficacissimo Christi sanguine concreta.

Ipsum est coeleste vestiarium in quo reconditur vestis illa luculenta et nuptialis, sine qua ad regale Agni immaculati convivium nemini panditur aditus.

Explanare quaenam sint hujusce sacramenti partes; quibusve conditionibus et dotibus unaquaeque pars constare debeat; nec instituti

(1) *1. Joan. 1.* (2) *Zach. 13:*

nostri ratio, nec praefixae patiuntur praesentis voluminis angustiae. Sufficiat igitur aliquos actus ad accendendam tuam pietatem hic subjicere.

I. Oratio. — Juxta exemplum filii Prodigi. Luc. 15.

Pater, peccavi in Coelum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto: fodi mihi cisternas consolationum terrenarum, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas, te fonte aquae vivae derelicto. Gaudium in creaturis quaesivi, quod in te solo inveniri potest. Vere non est pax extra te: quare ad te redeo, o benegnissime Pater, cujus misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus. Iterum exclamo: Pater, peccavi in coelum et coram te: redde mihi, obsecro, licet filii nomine indigno, gratiae tuae vestem, quam peccatis meis perdidi: restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessum dedi; ut hoc ornatu in coena tua Eucharistica gratiosus comparare merear, tibique in aeternum conjungi *mihi enim adhaerere Deo bonum est.* Ps. 72.

II. Oratio. — Juxta Parabolam ovis perditae. Luc. 15.

Erravi sicut ovis quae periit, Pastor bone, pie Jesu quaere servum tuum, et reduc me

in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: visitabo oves meas; quod perierat, requiram; et quod abiectum erat, reducam; quod confractum, alligabo; et quod infirmum, consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum, quorum non est numerus, et sana ea. Tuis me humeris, licet indignum, excipe et adduc ad gregem electorum tuorum: ibi *misericordias Domini in aeternum cantabo. Ps. 88.*

III. Oratio.

Utinam, te, Domine, Deus meus, ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omniqus viribus meis super omnia (quod opto) diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exaequem, in eoque aeternum persistam! Tu scis, Domine, quia amo te; magisque amare cupiam; quod millies malim mori, quam in talia... peccata relabi. O quam doleo, quod te summum et amantissimum bonum meum non umquam offenderim! Utinam (quod firmissime tua fretus ope propono) te numquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore, et cultu dignus es, cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

Gratiarum Actio post Confessionem. Juxta exemplum Leprosi. Luc. 17.

Ad te, o benignissime Jesu, revertor, et gratias ago, quod a foedissima peccatorum meo-

rum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum benedictum in secula. Vere tu Jesus, hoc est, Salvator es, qui neminem a te quemlibet flagitiosum repellis, qui omnes vere poenitentes in gratiam recipis, et in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiae tuae viscera, o Jesu, agnosco et amplector: meque totum servitio tuo deinceps addico. Adiuva, obsecro, imbecillitatem meam; ut nunquam hujus tui praestiti beneficii oblitus amore ullius delectationis, aut praeposteri affectus impulsu, in priora peccata relabar, meque a te separem. Cor et animam meam dilectionis tuae brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo audeam: *Quis me separabit a charitate Christi? etc.* Rom. 8.

Alia Gratiarum Actio. Per Psalm. 102.

Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto ejus. * Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus: * Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas. * Qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in misericordia et miserationibus. * Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilae juventus tua. * Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus * Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas. * Miseratur et misericors Dominus, longanimis et mul-

tum misericors. * Non in perpetuum irascetur, neque in aeternum comminabitur. * Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. * Quoniam secundum altitudinem coeli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se. * Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras. * Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. * Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut foenum dies ejus, tanquam flos agri, sic efflorebit. * Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.* Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum. * Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus. * Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea. Dominus in coelo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur. * Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. * Benedicite Domino omnes virtutes ejus: ministri ejus qui facitis voluntatem ejus. * Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino. Gloria Patri, etc.

Oratio S. Thomae Aquinatis, qua virtutes christiani hominis petuntur.

Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Ordina statum meum: et quod a me requiris; ut faciam, tribue ut sciam, et da exequi, sicut oportet et expedit animae meae: da mihi, Domine, Deus meus, inter prospera et adversa non deficere; ut in illis non extollar, in istis non deprimar: de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat a te: nulli placere appetam, vel displicere timeam nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia tua propter te, et tu, Deus, praeter omnia. Taedeat me gaudii, quod est sine te, nec aliquid cupiam quod est extra te. Delectet me, Domine, labor qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies quae est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et lapsus meos cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione; pauperem sine defectione; castum sine corruptione; patientem sine murmuratione; humilem sine fictione; hilarem sine dissolutione; tristem sine dejectione; maturum sine tarditate; agilem sine levitate; timentem sine desperatione; veracem sine duplicitate; operantem bona sine praesumptione; proximum

corrigere sine elatione; ipsum aedificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio: da cor nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta animi commotio. Largire mihi, Domine, Deus meus, intellectum te cognoscentem: diligentiam te quaerentem: sapientiam te invenientem: conversationem tibi placentem: perseverantiam te fideliter expectantem et fiduciam te finaliter amplectentem. Da mihi tuis poenis configi per poenitentiam: tuis beneficiis uti in vita per gratiam et tandem tuis gaudiis perfrui per gloriam. Per Dominum. etc.

SINGULIS MENSIBUS.

Ad mortem sese praeparandum.

In hoc totius felicitatis nostrae cardo volvitur; ut bene moriamur; summa vero miseriarum est, si quis male vitam finierit: neque hac in parte bis peccare datur; error, si aliquis contingat, non potest compensari: semel morimur; et exinde omnia pendent: (1) *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilo-*

(1) *Eccle. 11.*

nem, *in quocumque loco ceciderit*, *ibi erit*: per totam utique aeternitatem.

Beatus igitur, inquit auctor de imitatione Christi, (1) qui horam mortis suae semper ante oculos habet, et ad moriendum quotidie se disponit, vere beatus, quia procul dubio: (2) *in Domino morietur*, *amodo dicet ei spiritus ut requiescat a laboribus*. Quam infelices e contra et miseri, qui ab hoc salutari prospectu oculos mentis avertunt, in coeno terrenarum voluptatum liberius sese volutaturi! (3) *siculi* enim *pisces capiuntur hamo*, *et sicut aves laqueo comprehenduntur*; *sic capientur homines isti in tempore malo*, *cum eis extemplo supervenerit*.

Fidei itaque ac rationi consentaneum esset, cum quilibet actus ultimus vitae tuae esse possit; ut, juxta Ecclesiastici consilium, (4) in omnibus operibus tuis memor esses novissimorum tuorum, et sic in aeternum non peccares. Æquum esset; ut, saltem singulis diebus, ad tantum opus te accingeres, ut suadet auctor imitationis supralaudatus, mane scilicet, cogitando te ad vesperam forsan non perventurum; vespere autem facto, non audendo mane tibi polliceri: sed qualem excusationem praetendere poteris apud summum judicem, si vel per aliquot horas in mense, soli negotio tuo, quod est negotium aeternitatis, vacare recusaveris.

---

(1) *Lib. 1. 23.* (2) *Apoc. 14.* (3) *Eccle. 9.* (4) *Eccli. 7.*

Hoc est praeparationis hujus artificium. Ut nempe die mensis tibi praefixa, omnibus aliis posthabitis curis, sedulo conscientiam discutiens, in hunc statum te conferre satagas, in quo optares inveniri si mors in foribus adstaret, et mox ad Dei judicium esses citandus. Hac ipsa die confessionem tuam perage quasi esses in ultimo vitae discrimine, et corpore Dominico, si hoc tibi concedatur, quasi coelesti viatico agonem tuum munire ne praetermittas. Ad devotionem tuam magis excitandam, nec etiam abs re erit, pro te ipso commendationem animae praestare, quam Ecclesia fieri praecipit pro fidelibus in extrema vitae lucta versantibus. Hanc ad calcem Breviarii reperies.

SINGULIS ANNIS.

Exercitiis spiritualibus in secessu vacandum.

Ex quo tempore Patris coelestis, Christum ut Magistrum et doctorem nobis praemonstrantis, audita est in deserto vox ista: (1) *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite;* ad solitudinem, quasi ad divinae doctrinae scholam, interdum se recipere non dubitat, quisquis piae et religiosae vitae tyrocinium ponere, vel ad ampliores profectus sese conferre satagit.

---

(1) *Matth.* 17.

Enim vero in quocumque statu versetur anima tua, ibi omnia salutis adminicula reperies. Noxis gravioribus inquinaris? Habes in solitudine veluti quoddam mare rubrum, in quo omnia submergentur delicta tua; transmigra in hunc montem; sicut passer, ibi cum Psalm. canticum istud concines: (1) *Deus cum pertransires in deserto, terra mota est*, seu cor terrenum conturbatum est; *etenim coeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel:* cum eodem et istud iterabis: (2) *Torrentem pertransibit anima nostra*, torrentem utique poenitentiae. *Forsitan*, alioqui, *pertransisset aquam intolerabilem*. (3) *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est et nos liberati sumus.*

Unde pulchre admodum exclamat S. Basilius: (4) « O solitudo, mors vitiorum, purgatorium sordidorum! Te potentis medici conclave experiuntur, qui vulnerati in praelio hostiles manus effugiunt; tu mundi persequentis felix refugium, ab aestu seculi refrigerium; tu Dominicae sepulturae propemodum aemula, quae peccato mortuos suscipis, et per afflatum S. Spiritûs Deo reviviscere facis. »

Si prae nimio torpore languescas, et non nisi remisse jugum Domini sustinueris; habes in solitudine columnam igneam, quae viam tibi

(1) *Ps.* 67. (2) *Ps.* 123. (3) *Ibid.* (4) *De laude Eremi.*

demonstrando, quam carpere tenearis, novo te accendet fervore, uti illam impigre prosequaris. Ibi Spiritus Sanctus blande cordi tuo illapsus, ista Apocalypsis clementi objurgatione te percellet : (1) *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti: memor esto unde excideris et age poenitentiam, et prima opera fac.* Tunc concalescet cor tuum intra te, et in meditationibus tuis ignis divini amoris exardescet; licebitque cum Psalm. istud ingeminare : (2) *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine, exspectabam eum qui salvum me fecit a pusillaminitate spiritus.*

Si vero strenue viam mandatorum Dei cucurreris; pluet tibi in solitudine manna absconditum, et in fortitudine cibi illius desertum hujus vitae inoffenso pede percalcans, ambulabis usque ad montem Dei, ad terram fluentem lac et mel. Etenim si petra ista solitudinis refugium est herinaciis, seu pusillanimis : cervi pariter, seu mentes excelsae et ad pietatem agiles, novos in ea perfectionis montes percurrendos deprehendunt. Ibi justus novas in corde suo disponit ascensiones, et (3) illius *semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Tunc adimpletur in ipso istud Isaiae vaticinium : (4) *Consolabitur Dominus Sion, ponet desertum ejus quasi delicias et solitudinem ejus quasi hortum Domi-*

(1) *C.* 2. (2) *Ps.* 54. (3) *Prov.* 14.
(4) *Isai.* 51.

ni, *gaudium et laetitia invenietur in ea*, *gratiarum actio et vox laudis*. Quicumque ergo, concludit S. Basilius, ad perfectionem pervenerint, tuum o solitudo noverint praeconium.

Sed et ipsa virorum Apostolicorum institutrix est et magistra; illam Christus Dominus ad exemplum nostrum colere non dedignatus est. Nempe, ut ait Illustrissimus Hallier Episcopus Caballicensis, (3) « Divinae dispensatio- » nis mysteria aggressurus secessit Christus a » turbis, quem frequentia populorum non » turbabat; solitudinem petiit, cui in solitu- » dine nota omnia et obvia erant: meditatio- » ni vacaturus discessit, qui divinam jugiter » Dei faciem et sine cessatione intuebatur; ora- » turus desertum petiit, qui tamen exaudiri » merebatur pro sua reverentia poteratque » praestare quod petebat, et largiri quod vo- » lebat.

» Ea ergo omnia fecit Christus, non quod » aliquibus egeret vitae melioris adminiculis, » sed perfectum vitae quam imitaremur exem- » plum tradere volens; ne prius Hierarchicum » gradum subeamus, vel Ecclesiastica ministe- » ria aggrediamur, quam ad nostri Ducis imi- » tationem, secreti a turbis terrestrium silen- » te tumultu curarum, oratione et aliis piis » operibus totos nos Deo committamus, in- » struendosque et imbuendos tradamus.

---

(1) *Lib. de Sacris Electionibus Sect. 4. de Praeparat. ad Ordines Parag.* 2.

» Ad hoc exemplum formati Apostoli, priusquam divinitus sibi commissam legationem implerent aut praedicandi Evangelii munere fungerentur; unanimes in eadem domo precantes, et divinis meditationibus sedulo intenti nobis describuntur, ut se ad divinum illud Verbi Divini semen fructuose per totum orbem spargendum praepararent ». Ut quid ergo tam eximiis vestigiis insistere recusares? Ad sancta proposita tua corroboranda, operae pretium erit, promissa professionis Clericalis redintegrare per Psal. 15. *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SECUNDA PARS.

SPECULUM SACERDOTUM ET CLERICORUM.

Nihil est, ait sacrosanctum Conc. Trident. quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. *Sess.* 22 *de Reform. c. 1.*

I.

Notio optimi Clerici et Sacerdotis.

Clericus, qui Christi servit Ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim *Cleros* grece, *sors* latine appellatur;

propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum et possideatur a Domino. *S. Hieron. Epist. ad Nepotianum.*

Ideam hanc optimi Ecclesiae Ministri uberius explicat Apostolus. Homo est mundo crucifixus et cui mundus crucifixus est, qui exhibet corpus suum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, suis se affectibus exuens; ut Christum induat, et peccatis mortuus justitiae vivat, providens bona non tantum coram Deo sed etiam coram hominibus; ita ut in omnibus seipsum praebeat exemplum bonorum operum in doctrina sana, in integritate, in gravitate, abnegans impietatem et saecularia desideria, ut sobrie, juste et pie vivat in hoc saeculo.

Dei ministrum et operarium inconfusibilem sese exhibet, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera et adversa; donec ad perfectionis apicem provectus, post legitimum certamen et cursus consummationem, coronam justitiae a Domino recipiat. *Ex variis S. Pauli Epist.*

II.

Ejusdem argumenti series.

Sint Clerici memores perpetuo vocationis, qua eos Dominus dignatus est, ejusque quod scriptum est: Sancti estote quia ego sanctus sum: nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. Coelestem in terris vitam tanquam Angeli Dei agant, expoliantes veterem hominem cum actibus suis, et novum induentes. Sint electi Dei sancti et dilecti; viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam induentes.

Sobrii sint, ornati, pudici, prudentes, sed non apud semetipsos, supportantes invicem, non invicem provocantes, non invicem invidentes, subjecti invicem in timore Christi, non dominantes in Cleris, sed charitate fraternitatis invicem diligentes, et honore invicem praevenientes hospitales, invicem suscipientes, et justitiam induentes, si fieri potest cum omnibus hominibus paçem habentes, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines, non vinolenti sint, non percussores, sed modesti, non litigiosi, non cupidi, non bilingues, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura.

Sint etiam spiritu ferventes, Domino servientes et orationi instantes, ut ambulent digne, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei, et quaecumque sunt vera, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecum-

que bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitent. *Ex variis Ss. Apost. Epist.*

III.

Sacerdos sicut dignitate ita et sanctitate sit praecellens.

Audite me, beatissimi patres, et si dignum ducitis, sanctissimi fratres, audite me stirps Davidica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces ac rectores gregis Christi. Audite me rogantem vos pariter et timentem, et honorem sacerdotalem demonstrare volentem; ut cum honoris vobis praerogativas monstravero, merita etiam congrua requiramus. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, et sic deinde servetur a nobis, ut psalmographi sententia queat repelli a nobis: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis. S. Ambros. Lib. de dign. Sacerd. cap. 2.*

Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem ordinemque referendum est...... Idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, ut si in coelis ipsis collocatus inter coelestes virtutes medius staret. Terribilia namque atque honorifica sunt quae administrat. Si quis consideret quantum sit id Mysterium! si probe intelliget, quanto honore quantaque dignitate sacerdotes Spiritus Sancti gratia dignati fuerint! etenim iis, qui

terram incolunt atque in ea versantur, commissum est, ut ea quae in coelis sunt dispensent; iis datum est ut potestatem habeant quam Deus opt. nec Angelis, nec Archangelis datum esse voluit; neque enim ad illos dictum est: *Quaecumque ligaveritis super terram, etc.*

Etenim quidnam hoc aliud esse dicas nisi omnium rerum coelestium potestatem illis a Deo esse concessam? Quid cum hoc honore conferri potest? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit coelum: servus sedet judex in terra, et Dominus sequitur ejus sententiam atque confirmat, ut quidquid in inferioribus judicaverit, hoc ille in supernis comprobet. Quaenam obsecro, potestas hac una major esse queat? Pater omnem potestatem dedit Filio; caeterum video eamdem ipsam potestatem a Deo Filio sacerdotibus traditam; nam quasi jam in coelum translati ac supra humanam naturam positi, sic illi ad principatum istum perducti sunt. *S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdot. cap. 3. et 4.*

IV.

Ejusdem argumenti veritas confirmatur.

Quo igitur non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem, os quod igne spiritali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensâ fruaris?

Quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic unimur et facti sumus unum Christi corpus et una caro. Audiamus ergo et sacerdotes et subditi quali esca facti sumus digni: audiamus et horreamus; sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum: quaenam igitur erit nobis excusatio, cum talibus pasti, talia peccemus, cum lupi fiamus agnum comedentes? *S. Chrysost. Hom. 83 in Math. et Hom. 60 ad pop. Antioch.*

O Sacerdotes, si anima cujuslibet justi sedes est Dei, multo magis sedes et templum Dei vos esse debetis purum et immaculatum. Si sepulchrum ejus gloriosum est, in quo Corpus ejus jacuit exanime, multo gloriosiora debent esse corpora vestra, quae a mortuis suscitatus quotidie inhabitare dignatur. Si beatus est venter, qui novem mensibus Christum portavit, et beata debent esse corda vestra, in quibus hospitium quotidie eligit Filius Dei. Si beata sunt ubera, quae parvulus suxit, beatum debet esse os, quod carnem ejus sumit et sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum ejus timore configite, et vobis diligenter providete, ne lingua, quae vocat de coelo Filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur, et ne manus, quae intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccatorum. *S. Augus. Serm. 37 ad Fratres in Eremo, citatus a Molina Carth. Tract. 1. cap. 1. Part. 2.*

V.

De cura salutis propriae.

Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur: aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. *Matth. c. 16 v. 26.*

Si quod vivis et sapis, totum das actioni, considerationi nihil, laudo te? In hoc non laudo... Si item totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plene sit: quomodo autem plena, te excluso? Et tu homo es; ergo ut integra sit et plena humanitas, colligat et te intra se sinus qui omnes recipit; alioquin *quid tibi prodest*, juxta Verbum Domini, *si universos lucreris te unum perdens*? Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui? Usquequo vadens spiritus et non rediens? Usquequo non recipis te et ipse inter alios vice tua? Sapientibus et insipientibus debitor es, et soli negas te tibi? Stultus et sapiens, servus et liber, dives et pauper, vir et foemina, senex et juvenis, justus et impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo; et tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit ex-

pertem? Sane deriventur aquae tuae in plateas. . . Sed inter caeteros bibe et tu de fonte putei tui, denique *qui sibi nequam cui bonus*? *S. Bern. Lib. 1. de Confider. cap. 5.*

VI.

Zelus gloriae Dei.

Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, *3. Reg. c. 19.* Phinees, filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum. Ecce do ei pacem foederis mei, et erit tam ipsi quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. *Numer. 25.*

Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiae castitatem: et ideo Princeps sacerdotum dicit: Zelus domus tuae devoravit me . . . Zelus igitur Dei vita est: sicut enim ante in Adam devoraverat hominem mors praevalens, ita zelus devoravit quem vivificavit in Christo. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad coelum est: zelans, inquit, zelavi Dominum . . . Quid multa? Apostolus quoque Domini hoc declaratus est nomine, ut Simeon zelotes diceretur: Zelo fidei populus gentilium vitam sibi acquisivit aeternam, quam negligentia atque desidia Judeorum populus ami-

sit . . . Angeli quoque sine zelo nihil sunt, et substantiae suae amittunt praerogativam, nisi eam zeli ardore sustentent . . . Et quid miremur si Angeli eum habent? Ipse Deus Pater ait: zelans zelabo Jerusalem, zelo magno . . . Zelo vindicatur Jerusalem: zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. *S. Ambros. in Psalm. 118 octon. 18.*

VII.

Zelus domus Dei.

Zelus (1) domus tuae comedit me, et opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me. (2) Hoc zelo comeditur, qui omnia quae forte ibi perversa sunt, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit: si emendare non potest, tolerat, gemit. (3) Quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli. (4) Ergo ne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si coelum et coeli coelorum te non capiunt, quanto magis domus ista quam aedificavi?

(5) Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae; unde et addit idem Propheta regius. (6) Ecce ego, in paupertate mea, praeparavi impensas domus Do-

(1) *Ps.* 68. (2) *S. Aug. Tract.* 10 *in Joannem*, c. 2. (3) *Genes.* 28. (4) 2. *Paralip.* c. 6. (5) *Ps.* 25. (6) 1. *Paralip.* 22 *et* 29.

mini . . . talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur . . . opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo. (1) Quanto magis sacerdoti convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.

Hoc Presbyteri munus apprime noverat Nepotianus, de quo S. Hieronymus ait: (2) Erat sollicitus si niteret Altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes ceremonias pia sollicitudo disposita. Non majus, non minus negligebat officium: ubicumque eum quaereres, in Ecclesia invenires . . . Basilicas Ecclesiae diversis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis adumbravit, ut quidquid placeret in Ecclesia, tam dispositione quam visu, Presbyteri laborem et studium testaretur.

VIII.

Zelus salutis animarum.

Simon (3) Joannis diligis me plus his? . . . Pasce oves meas. Quasi diceret: (4) Si dilectionem erga me habes, ubi ostendas habes; ubi exerceas habes; pasce agnos meos. (5) Ex

---

(1) *S. Ambr. lib. 2. Off.* (2) *S. Hier. Epis. 3. ad Heliodor.* (3) *Joan. 21.* (4) *S. Aug. serm. 149 de temp.* (5) *S. Cyr. Alex. l. 12 in Joan. 21.*

hoc loco agnoscunt fidei magistri non aliter se summo Pastori, id est Christo, gratos fore, quam si omni studio caveant, ut rationales oves recte curentur et bene habeant.

Quam (1) multa propter hunc gregem passus est Filius Dei! Homo factus est, servi formam assumpsit, consputus est, alapis caesus est, postremo ne mortem quidem recusavit, nec ignominiosissimam: quin et ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quaerat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat; nullum enim officium hoc Deo charius est. (2) Deo nec addere, nec detrahere sufficit: reliquit in hoc saeculo similitudinem sui, videlicet hominem, quatenus quod illi honoris impendere volumus, in ejus exhibeamus imagine.... erigendo illum de lacu miseriae, et de luto faecis.

Illud profecto Pastoris manus apprime noverat Apostolus cujus hic sermo erat: (3) Si evangelizavero non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: vae enim mihi est si non evangelizavero... cum liber essem ex hominibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem: factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer... Factus sum infirmis infir-

---

(1) *Chrys. Orat. de B. Philogonio.* (2) *B. Laur. Justin. de Compl. Christ. perf.* (3) *1. Cor. 9.*

mus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos. (1) Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? (2) Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris; licet plus vos diligens minus diligar. (3) Tanquam si nutrix foveat filios suos: ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam charissimi nobis facti estis.

IX.

Catechizandis pueris et rudibus danda opera.

Attende (4) exhortationi et doctrinae. (5) Adhaesit enim lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. (6) Ne ergo contemnatis unum de pusillis istis. Intuere Dominum Jesum, (7) in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. (8) Offerebant illi parvulos, ut tangeret illos, discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Jesus, indigne tulit et ait illis: sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non recepe-

---

(1) 2. Cor. 11. (2) 2. Cor. 12. (3) 1. Thes. 2. (4) 1. Tim. 4. (5) Thren. 4. (6) Matth. 18. (7) Colos. 2. (8) Marc. 10.

rit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos et imponens manus super illos benedicebat eos.

(1) O piissime Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos? Quis tumescens et elatus de sua vel magnitudine vel scientia parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam vel imbecillitatem audebit aspernari; quando tu, qui es Deus benedictus in secula, in quo sunt omnes thesauri, usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas atque circumligas? Procul ergo, procul ex hinc omnis elatio, seorsum sit indignabunda quaelibet parvulorum effugatio.

(2) Audi Paulum dicentem: Sive mente excessimus, Deo; sive temperantes sumus, vobis: charitas enim Christi compellit nos, judicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est. Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est parvulus in medio nostrum, tanquam nutrix fovens filios suos. Num enim delectat, nisi amor invitet, decurtata et mutilata verba immurmurare?. . . Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinae illius, quae languidis plumis teneros foetus operit, et susurrantes pullos confracta

---

(1) *Gers. Tract. de Parvul. trah. ad Christ. cons. 4.* (2) *S. Aug. de Catech. Rudib. c. 10 n. 15.*

voce advocat ; cujus blandas alas refugientes superbi, praeda fiunt alitibus.

X.

Christus in omnibus imitandus.

Hoc (1) sentite in vobis quod et in Christo Jesu : (2) si quis enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus. (3) Et qui dicit se in ipso manere debet, sicut ille ambulavit et ipse ambulare ; (4) nam quos praescivit Deus, et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. (5) Unde et Christus ait : exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. (6) Et rursus: manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere : si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

(7) Parum erat Deo, si Filium suum faceret demonstratorem viae ; eum ipsum viam fecit, ut per illum ires regentem te, ambulan-

---

(1) *Philip.* 2. (2) *Rom.* 8. (3) *1. Joan.* 2. (4) *Rom.* 8. (5) *Joan.* 13. (6) *Joan.* 15. (7) *S. Aug. enar. in Ps.* 109.

tem per se. (1) Si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, ut quem sibi quisque ducem elegerit, ejus opiniones et mores atque omnia instituta sectetur; quae nobis erit communio nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est, ut ipse insinuavit, via, veritas et vita? Via scilicet conversationis sanctae, veritas doctrinae divinae, et vita beatitudinis sempiternae.

Istud praecipue rectorem spectat qui (2) ad hoc studere debet, ut sibi commissas faciat Christi formas.... Unde Apostolus dicit: Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi. Et: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed cum ex verborum doctrina minus capiant de doctrina Christi, debent etiam formam ejus visibilem in se ipsis ostendere, ut eis profundius imprimatur, dicentes cum Apostolo: Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Quasi dicat: si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc et moribus considerate: et vivo, jam non ego, vivit vero in me Christus. Vicarius enim Christi vicem Christi debet gerere, in beneplaciti ejus promotione, in potestatis ejus auctoritate, et in similitudinis ejus repraesentatione, scilicet ut ea, quae vult promoveat in subditis.

---

(1) *S. Leo serm. de Resurr.* (2) *S. Bonav. tract. de sex alis Seraph.*

XI.

Ecclesiae vulnus, improborum mores.

Christus (1) dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae: ut exiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta et immaculata. (2) Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est, ut possis dicere cum Apostolo, (3) Adimpleo ea, quae desunt passionibus Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia; (4) non est enim qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici . . . et ipsa opressa amaritudine. (5) Olim praedictum est et nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea amarissima: amara prius in nece Martyrum, amarior postea in conflictu haereticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum; non fugare non fugere eos potest, ita invaluerunt et multiplicati sunt super numerum. Intestina et insanabilis plaga Ecclesiae, et ideo in pace amaritudo ejus amarissima; sed in qua pace? Et pax est, et non est pax: pax a Paganis, et pax ab Haereticis, sed non profecto a filiis. Vox plangentis

---

(1) *Ephes.* 5. (2) *Exod.* 25. (3) *Coloss.* 1. (4) *Thren.* 1. (5) *S. Bern. Ser.* 33. *in cantic.*

in tempore isto: Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me: spreverunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi quaestu, a turpi commercio, a negotio denique perambulante in tenebris.

XII.

Peccata Sacerdotum gravissima.

Si (1) Sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaoulatum Domino, etc. Igitur (2) ante Prophetarum tempora ostendere volens Deus hominum peccata longe majori supplicio expiari, dum a Sacerdotibus, quam dum a privatis perpetrantur, mandat, ut tantumdem pro Sacerdotibus, quantum pro universo populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud signat, quam Sacerdotis vulnera majori medicamento atque auxilio indigere; atque adeo tanto quanto conjuncta simul universi populi vulnera indigent? Porro majori nequaquam indigerent, nisi ea graviora forent. Atqui graviora certe fiunt, non natura ipsa, sed Sacerdotis, qui ea commiserit, conditione ac dignitate.

Unde dicitur: (3) Erat ergo peccatum puerorum (Ophini et Phinees) grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sa-

---

(1) *Levit.* 4. (2) *S. Chrys. l.* 6. *de Sacer. c.* 11. (3) 1. *Reg.* 2.

crificio Domini. Et ab Ecclesiae Ministro se non mediocriter offensum Deus per Prophetam conqueritur ; (1) Si inimicus meus maledixisset mihi , sustinuissem utique . . . Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Et rursum : (2) Homo pacis meae in quo speravi , qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.

(3) Neque licet imperitiam praetendere, neque ad ignorantiam confugere , neque aut necessitatis aut violentiae speciem opponere . . . Quandoquidem qui delegatus est , ut alienam emendet ignorantiam , tum vero diabolicum instare bellum denunciet , is certe ignorantiam praetendere minime poterit , neque vocem hanc usurpare ; tubam non audivi , bellum non praevidi.

Illud idem monet Apostolus : (4) Confidis teipsum esse ducem caecorum , lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipiensium, magistrum infantium , habentem formam scientiae et veritatis in lege. Qui ergo alios doces, teipsum non doces ; qui praedicas non furandum , furaris ; qui dicis non moecandum , moecaris ; qui abominaris idola , sacrilegium facis ; qui in lege gloriaris , per praevaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes. Gra-

---

(1) *Ps. 54.* (2) *Ps. 40.* (3) *S. Chrys. l. 6s de Sacerd. t. 1.* (4) *Rom. 2.*

vissimum igitur ipsi impendet exitium. (1) In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.

XIII.

De modestia seu de vita exemplari.

Induite (2) vos, sicut electi Dei sancti et dilecti..., modestiam, quae (3) nota sit omnibus hominibus, Dominus enim prope est: haec ad omnes fideles scribit Apostolus. Quanto magis virum Ecclesiasticum decet, qui (4) in omnibus seipsum praebere debet exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; (5) ut is qui ex adverso est vereatur nihil habens malum dicere de illo; (6) et obmutescere faciat imprudentium hominum ignorantiam. (7) Sacerdotalis enim animi pulchritudinem undique splendescere oportet, ut oblectare pariter et illustrare possit eorum animos, qui suos in eum oculos convertunt.

(8) Decet enim Pastorem, decet Dominicum Sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tamquam in vitae suae speculo plebs commissa, et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat. (9) Decet inquam,

(1) *Isaiae* 26. (2) *Coloss.* 3. (3) *Philip.* 4.
(4) *Tit.* 2. (5) *Ibid.* (6) 1. *Pet.* 2.
(7) *S. Chrys. l.* 3. *de sacerd. c.* 14.
(8) *S. Greg. in Reg. lib.* 7. *Indict. l. Ep.* 32.
(9) *S. Ambr. lib.* 1. *Offic. ultim.*

actuum nostrorum testem esse publicam aestimationem et attestationem, ne derogetur muneri: ut qui videt Ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem praedicet, et Dominum veneretur, qui tales servulos habeat. (1) In te, nimirum, oculi omnium diriguntur. Domus tua et conversatio, quasi in specula costituta, magistra est publicae disciplinae. Quidquid feceris id sibi omnes faciendum putant: cave ne committas quod, aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere. (2) Quod si dixeris, et mihi sufficit conscientia mea, habeo Dominum judicem qui meae vitae est testis, non curo quid loquantur homines. Audi Apostolum scribentem: Providentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

XIV.

In exterioris hominis compositione immodestia vitanda.

Ex (3) visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. (4) Ipsa etenim corporis species, simulacrum est mentis, figura probitatis. Bo-

---

(1) *S. Hieron. Ep. 3. ad Heliod.* (2) *S. Hieron. Ep. 47.* (3) *Eccli. 19.* (4) *S. Ambr. l. 2. de Virg.*

na quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci. (1) Quapropter Clerici in habitu, gestu, incessu, sermone, et omni alia eorum actione, nil nisi grave, moderatum et religione plenum praeseferant.

(2) Sic Sacerdotalem vultum gravitas matura componat, ne rigorem nimium intuentium infirmitas perhorrescat: sic alios hilaritatis nostrae dulcedo permulceat, ut serenitas nostra sese in petulantiam vel lasciviam non resolvat. (3) Oculis Christum spectaturis, nihil aliud digneris aspicere: (4) ne igitur multum circumspicias in plateis, ne forte videas unde tenteris postmodum, vel ab oratione impediaris, vel phantasias contrahas eorum, quae intente respexisti.

(5) Sit praeterea incessus tuus maturitate plenus, gravis et honestus: videlicet non fractis gressibus ambules, aut scapulas dextrorsum aut sinistrosum vergendo, non erecta cervice, non prominente corpore, seu etiam inclinato capite super humerum: quae omnia aut levitatem redolent, aut elationem ostentant aut hypocrisim sapiunt. Nonnullos etiam reperies, qui, (6) ne plantas humidior via spargat,

---

(1) *Conc. Trid. sess.* 22. *c.* 1. (2) *Pet. Dam. l.* 2. *Ep.* 1. (3) *S. Hier. de S. Joann. Bapt. loquens.* (4) *S. Bonav. de Inst. c.* 31. (5) *S. Bern. form. hon. viv. c.* 5. (6) *S. Hier. Ep.* 22. *ad Eustoc.*

vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato quam Clericos.

(1) Gestus quoque corporis signum est mentis. (2) A notabilibus igitur corporis, seu membrorum extensionibus, quae cum oscitationibus, vel aliis, non sine quadam inhonestate fieri solent, omnino abstine. Honesto enim incongruum est viro, pigra membra distensione resolvi. Quibus addam istud Sancti Gregorii Nazianz. *Orat.* 2. *cont. Julianum.* Neque enim mihi quidquam boni significare aut ominari videbantur, cervix non stata, humeri subsultantes, ad aequilibrium subinde agitati, oculus insolens ac vagus, furioseque intuens, pedes instabiles ac titubantes, nasus contumeliam et contemptum spirans, vultus lineamenta ridicola idem significantia. Risus petulantes et effraenes, nutus et renutus temerarii, sermo haerens spiritusque concisus, interrogationes stultae et praecipites, responsiones nihilo his meliores, aliae in alias insultantes, nec graves et constantes, nec eruditionis ordine progredientes . . . ut haec conspexi statim his verbis usus sum: Quale romanorum Regio malum alit!

(1) *S. Isid. de norm. viv. c. 4.* (2) *S. Bonav. spec. discip. part. 1. c. 24.*

XV.

Lingua refraenanda.

Sis velox (1) ad audiendum, et tardus ad loquendum, (2) quia in multiloquio non deerit peccatum. (3) Si quis autem putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam; sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (4) Si quis vero in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam freno circumducere totum corpus... Lingua modicum membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis, quam magnam sylvam incendit, et lingua ignis est universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis nostrae, inflammat a gehenna... Linguam nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum, et maledicimus homines qui ad similitudinem Dei facti sunt.

(5) Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit: verba oris sapientis gratia, et labia insipientis praecipitabunt eum: initium verborum ejus stultitia, et novissimum oris illius error pessimus. Stultus verba multiplicat. (6) Plenus sum sermonibus, (ait unus ex illis,) et coarctat me

---

(1) *Jacob.* 1. (2) *Prov.* 10. (3) *Jacob* 1.
(4) *Ibid. c.* 3. (5) *Eccles.* 10. (6) *Job.* 32.

spiritus uteri : en venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit : loquar et respirabo paululum. (1) Terribilis est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit.

(2) Nec nominetur in vobis sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quae ad rem non pertinet. (3) Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore ejus: non nugas profecto vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul et ab aure relegandum, faede ad cachinnos moveris, faedius moves. (4) Magna utique mala habitant in anima, quae verba usurpat urbana et faceta, magna effusae laetitiae dissolutio, et ironia ac simulatio, hiat campago, marcescit et putrescit aedificium, exterminatur timor, abest pietas ac reverentia: habes linguam, non ut comicis dictis incessas; sed ut Deo gratias agas.

XVI.

De habitu et tonsura clericali.

Etsi (5) habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes

(1) *Eccli. 9.* (2) *Eph. 3.* (3) *S. Bern. l. 2. de cons. c. 13.* (4) *S. Chrys. in Ep. ad Eph. c. 5.* (5) *Conc. Trid. sess. 14. de ref. c. 6.*

ordini semper deferre; ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus; ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus. Propterea omnes Ecclesiasticae personae, quantumcumque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum ordini et dignitati congruentem et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus ac officio et beneficio, ac fructibus, redditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant, secundum Constitutionem Clementis V. in Conc. Vienn. editam, quae incipit, *Quoniam innovando.*

Solent (1) dicere: num de vestibus cura est Deo, et non magis de moribus? At forma haec vestium, defōrmitatis mentium et morum indicium est. Quid sibi vult quod Clerici aliud

---

(1) *S. Bern. L. 3. de cons. c. 5.*

esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum, minusque sincerum. Nempe habitu milites, quaestu Clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? cum utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt... Vereor istos non alibi ordinandos quam ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quisquis (1) vero Clericus ad sortem Domini vocatus comam nutrit, et capillos radere vel tondere erubescit, profecto se non de Dei, sed de mundi sorte esse testatur; quanto enim quisque carnis crines diligit, fovet et nutrit; tanto cor suum non in coelis, sed in terra fixum esse ostendit; quanto autem radit et edomat, tanto se non terrena, sed aeterna diligere comprobat. Unde statuit Conc. Trid. (2) ut is etiam fori privilegio non gaudeat, qui clericalem habitum et tonsuram non defert.

XVII.

Derisiones malorum virtus superet.

Deridetur (3) Justi simplicitas. (4) Ambulans recto itinere et timens Deum despicitur ab eo, qui infami graditur via. (5) Etenim de-

---

(1) *Auth. Lib. de Contemp. mundi c. 3. inter Opera S. Aug. tom. 9.* (2) *Sess. 23. de Refor. c. 6.* (3) *Job. 12.* (4) *Prov. 14.* (5) *Ibid. 13.*

testantur stulti eos qui fugiunt mala. (1) Venite, inquiunt, circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. (2) Omnes igitur qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patentur.

(3) Illo ergo spiritu vive, quo dictum est; Vidi insensatos et tabescebam. Pia est ista tristitia, et si dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari non implicari, moerere non haerere: dolere contrahi non amore attrahi. Haec est persecutio, quam patiuntur omnes, qui volunt in Christo pie vivere, secundum apostolicam mordacem veracemque sententiam. Quid enim hic magis persequitur vitam bonorum, quam vita iniquorum, non cum cogit imitari, sed cum cogit dolere quod videt? Quoniam coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem... Sed inhaere illi a quo audisti. Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Conjungere Deo; ut crescat in novissimis vita tua. Scio enim non deesse recreationem cordis de fratribus bonis. Huic adjunge promissiones Dei fideles, magnas, certas, sempiternas, ipsiusque tolerantiae imperturbabilem ineffabilemque mercedem, et vide quam verum Domino cantes: Secundum multitudinem do-

---

(1) *Sap.* 2. (2) 2. *Tim.* 3. (3) *S. Aug. Ep.* 248. *alias* 145.

lorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

XVIII.

De castitate custodienda.

Teipsum (1) castum custodi. (2) Et omni custodia serva cor tuum. (3) Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra; ut abstineatis vos a fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et Gentes, quae ignorant Deum. (4) An nescitis quia Templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. (5) Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

Omnibus (6) igitur castitas pernecessaria est; sed maxime ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, et assidua salutis praedicatio. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nulla contagione carnis; sed potius continentia castitati splendeant. (7) Sit itaque in ipsis castitas propria; et, ut ita dixerim, pudicitia Sacerdotalis; ut non solum

---

(1) *1. Tim. 5.* (2) *Prov. 4.* (3) *1. Thess. 4.*
(4) *1. Cor. 3.* (5) *1. Cor. 6.*
(6) *S. Aug. Ser. 249. de temp.*
(7) *S. Hier. in cap. 1. Ep. ad Tit.*

ab opere se immundo abstineant; sed etiam a jactu oculi, et cogitationis errore, mens Christi corpus confectura sit libera.

Quid (1) nimirum castitate splendidius? Quid ministerio nostro magis honorificum? Ipsa mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus et Angelus, sed felicitate non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas, quae in hoc mortalitatis et loco et tempore statum quemdam immortalis gloriae repraesentat... Vas interim fragile quod portamus, in quo et crebro periclitamur, tenet castitas, ut monet Apostolus, in sanctificationem et honorem, et instar odoriferi balsami, quo condita cadavera incorrupta servantur, sensus ipse et artus constringit et continet, ne dissolvantur otiis, ne corrumpantur desideriis, ne carnis voluptatibus computrescant. Quemadmodum legitur de quibusdam (Joel 1.) quia computruerunt ut jumenta in stercore suo. Hoc itaque tantae pulchritudinis ornamentum digne dixerim sacerdotium honorare, quod dilectum Deo et hominibus faciat Sacerdotem, cujus quippe memoria non in carnis successione; sed in spirituali benedictione sit, reddatque similem in gloria Sanctorum, in hac licet adhuc regione dissimilitudinis constitutum.

---

(1) *S. Bern. Ep. 42. ad Henr. Senon. c. 3.*

XIX.

Cavenda cum mulieribus familiaritas.

In medio (1) mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri quam mulier benefaciens et confundens in opprobrium. (2) Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam... speciem mulieris multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius; (3) seu ne forte interim, dum tu illius os defixis oculis intueris, suscepto ab hoste et malorum satore libidinis semine, corruptionis postea ac perditionis manipulos metas. (4) Numquid etenim potest homo abscondere ignem in sinu suo; ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas; ut non comburantur plantae ejus?

(5) Cum proximat stipulâ, incendit ignem; flammigero igne percutit femina conscientiam pariter abitantis, exuritque fundamenta montium.

(6) quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie aut perire aut

(1) *Eccli.* 42. (2) *Eccli.* 9. (3) *S. Bas. de Abdicat. seculi.* (4) *Prov.* 27. (5) *S. Hier. Ep. ad Ocean.* (6) *S. Hier. l.* 2. *Ep.* 9. *de vitand. susp. contuber.*

vincere? Securius est perire non posse, quam juxta periculum non periisse. (1) Hospitiolum tuum aut raro aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas et virgines Christi, aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige. Memento semper quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, et germana, vel mater, aut probatae quaelibet apud omnes fidei . . . Scio quosdam convaluisse corpore, et animo aegrotare coepisse: periculose tibi ministrat cujus vultum frequenter attendis . . . Solus cum sola, secreto et absque arbitro vel teste ne sedeas.

Caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante devita. Crebra munuscula et sudariola et fasciolas et oblatos ac degustatos cibos, blandasque ac dulces litterulas sanctus amor non habet . . . omnes delicias et lepores et risu dignas urbanitates et caeteras ineptias amatorum in comediis erubescimus, in seculi hominibus detestamur; quanto magis in Clericis, quorum et Sacerdotium proposito, et propositum ornatur Sacerdotio? (2) Quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores ac vinitores quotidie lacerabunt.

(1) *S. Hier. Epist. ad Nepot.*
(2) *Idem. Ep. ad Ocean.*

(1) Neque etiam in praeterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. (2) Crede mihi, Episcopus sum, veritatem loquor in Christo, non mentior: cedros Libani, et gregum arietes sub hac specie corruisse vidi, de quorum casu non magis praesumebam, quam Gregorii Nazian. aut Ambrosii. (3) Tua ergo cum mulieribus colloquia vel nulla sint, vel rarissima et brevissima.

XX.

Observanda sobrietas, convivia declinanda.

Sobrius (4) esto: et (5) noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus consumentur. Cui vae? cujus patri vae? cui rixae? cui foveae? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit; cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. (6) Vae qui potentes estis ad bibendum vinum

---

(1) *Idem. Ep. ad Nepot.* (2) *S. Aug. apud S. Bonav. Reg. Nov. c. 11.* (3) *S. Basil. cons. c. 3. et 4.* (4) *2. Timot. 4.* (5) *Prov. 23.* (6) *Isai. 5.*

et viri fortes ad miscendam ebrietatem. (1) Non sit igitur vinolentus Sacerdos, sed sic bibat, ut ignoretur an biberit. (2) An non confusio et ignominia est, Jesum Crucifixum magistrum pauperum atque esurientem, fartis praedicare corporibus, jejuniorumque doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre?

(3) Vinolentos Sacerdotes et Apostolus damnat et vetus lex prohibet: qui altari deserviunt, vinum et siceram non bibant... Nec hoc dico, quod Dei a nobis creatura damnetur: siquidem et Dominus vini potator est appellatus, et Timotheo dolenti stomachum, modica vini sorbitio relaxata est; sed modum pro aetatis et valetudinis et corporum qualitate exigimus in potando: quod si absque vino ardeo adolescentia, et inflammor calore sanguinis, et succulento validoque sum corpore, libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est. (4) Ebrietas in alio crimen, est in Sacerdote sacrilegium; quia alter animam suam necat, vino Sacerdos spiritum sanctitatis extinguit.

(5) Convivia tibi vitanda sunt secularium, et maxime eorum qui honoribus tument... Con-

(1) *S. Ans. in cap. 1. ad Timoth.* (2) *S. Hier. in cap. 2. Mich.* (3) *Idem Ep. ad Nepot.* (4) *S. Petr. Chrys. serm. 25 de Fidel. dispens.* (5) *S. Hier. Ep. ad Nepot.*

solatores potius nos in moeroribus suis quam convivas in prosperis noverint. Facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium non recusat. Numquam petentes, raro accipiamus rogati: beatius enim est, magis dare, quam accipere; nescio enim quomodo etiam ipse qui deprecatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat; et mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.

XXI.

Otium fugiendum.

Qui (1) sectatur otium stultissimus est; (2) multam enim malitiam docuit otiositas: (3) tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple. (4) Labora sicut bonus miles Christi Jesu... nam et qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem; ne illud Evangelii in te impleatur, (5) Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.

(6) Dicas enim velim: si famulum haberes, qui etsi nec furaretur, nec conviciaretur, nec

---

(1) *Prov.* 12. (2) *Eccli.* 33. (3) 1. *Tim.* 4. (4) 2. *Tim.* 2. (5) *Matth.* 25. (6) *S. Chrys. Hom. in Ep. ad Eph.*

contradiceret, imo nec inebriaretur, nec reliquorum malorum quicquam designaret; sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliquid eorum, quae servus hero praestare debet, faceret, nonne flagellares eum ut perversum?

(1) Videtur et sanctus David cauterio gravi inurere quosdam Clericos: In labore, inquit, hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia. Habent enim singula quaeque genera hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis. Sed advertere est prudentiam aliquorum (Clericorum) et mirari quemadmodum novo inter haec artificio discernentes et ab invicem sequestrantes ea, totum quod delectat eligunt et amplectuntur; quod molestum est fugiunt et declinant... Cum coeperint resurgere homines unusquisque in ordine suo; ubi putas generatio ista locabitur? Si ad milites forte diverterint, exsufflabunt eos, quod minime secum labores aut pericula tolerarint. Sic agricolae, sic negociatores et singuli quique ordines hominum, a suis eos similiter arcebunt finibus, utpote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi ut quos omnis ordo repellit pariter et accusat, eum sortiantur locum ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat?

---

(1) *S. Bern. de vit. et mor. Cleric. c. 4.*

XXII.

Praepositis suis obtemperandum.

Numquid (1) vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere; (2) vir autem obediens loquetur victorias. (3) Obedite igitur praepositis vestris et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis.

(4) Nempe cum in praepositos delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis praetulit, obviamus. Unde Moyses dum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait: Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum sed contra Deum. (5) Omnes, idcirco, Episcopum sequimini ut Christus Patrem, (6) et quasi animae parentem suscipite; ipsi subjecti tanquam capiti membra deserviant, et ejus praecepta velut imperium Dei summopere custodiant. (7) Namque Jesus Nave filius perfecta

---

(1) *L. 1. Reg. 15.* (2) *Prov. 21.* (3) *Hebr. 13.* (4) *S. Greg. Regis L. 12. Indict. 7. Ep. 32.* (5) *S. Ign. Ep. 1. ad Smirn.* (6) *S. Pier. Ep. ad Nep.* (7) *S. Prosp. Praef. l. 2. de vita Act. Sac.*

sua obedientia tantum donum promeruit ut Moysis successor fieret. Et Samuel per obedientiam quam Heli Sacerdoti praestitit, dignus habitus est qui vocem Dei audiret. Elisaeus vero hujus adminiculo pallium et gratiam sui accepit magistri.

(1) Imo ut secure praeesse possitis, subesse et vos cui debetis non dedignemini. Dedignatio quippe subjectionis praelationis reddit indignum. Sapientis est consilium, quanto major es, tanto humilia te in omnibus. Sapientiae vero praeceptum: Qui major est vestrum, fiat sicut junior. Quod si expedit etiam minoribus esse subjectum, majorum jugum quomodo licebit contemnere? Videant in vobis potius subditi quod vobis redhibeant. Intelligitis quae dico? Cui honorem, honorem. Omnis anima, inquit Apostolus, potestatibus sublimioribus subdita sit. Si omnis, et vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.

(2) Alioquin quomodo illud implebitur: Principem te constituerunt; esto inter illos tanquam unus ex illis? Quomodo tanquam unus ex illis, manens inter humiles superbus, inter subditos rebellis? Ut te putemus tanquam unum ex illis, videamus tam exhibere para-

(1) *S. Bern. Ep. 42. ad Henr. Sen. Ep. c. 8.* (2) *Idem. ibid. c. 9.*

tum quam exigere obedientiam; videamus tam libenter praepositis obtemperare subiectum, quam imperare subjectis. Quod si semper vis obedientes habere et nunquam esse, probas te non esse tanquam unum ex illis, dum unus esse renuit ex obedientibus.

XXIII.

Quanta esse debeat Sacerdotis humilitas.

Quanto (1) major es humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur. (2) Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis. (3) Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est sicut ministrator. (4) Nam filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis. (5) Vos, inquit, vocatis me Magister et Domine; et bene dicitis; sum etenim: si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. Amen, amen dico vobis: non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo qui

(1) *Eccli. 3.* (2) *Eccl. 32.* (3) *Luc. 22.* (4) *Mat. 20.* (5) *Joan. 13.*

misit illum. (1) Et rursum: Scitis quia principes Gentium dominatur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. (2) Forma igitur Apostolica haec est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quae et commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui adjungit; Ego autem in medio vestrum sum tanquam qui ministrat. Quis se jam titulo hoc inglorium putat, quo se prior Dominus gloriae praesignivit? Merito Paulus gloriatur in eo dicens: ministri Christi sunt, et ego. Et addit: ut minus sapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. O praeclarum ministerium, quo non id gloriosius principatu! Si gloriari oportet, forma tibi sanctorum praefigitur. Parva ne tibi illa videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria sanctorum?... Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. (3) Bonus profecto fundus humilitas in qua omne aedificium spirituale constructum crescit in Templum sanctum in Domino; per hanc nonnulli possedere etiam portas inimicorum. Quae

---

(1) *Mat.* 20. (2) *S. Ber. de cons. L.* 2. *c.* 6. (3) *Idem. Ibid.*

enim virtutum aeque potest daemonum debellare superbiam, et tyrannidem hominum? Unde Apostolus ait: (1) Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

XXIV.

Mundus odio habendus.

De (2) mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus; (3) nolite ergo diligere mundum neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum non est Charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscentia ejus. (4) Nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur. Unde ait Apostolus: (5) mihi mundus crucifixus est et ego mundo.

---

(1) *1. Corinth. 1.* (2) *Joan. 15.* (3) *1. Joan. 2.* (4) *Jacob. 4.* (5) *Galat. 6.*

(1) Verum tu Sacerdos Dei altissimi cui ex his placere gestis, mundo an Deo? Si mundo, cur Sacerdos? si Deo, cur qualis populus, talis et Sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium? Nec enim potes duobus Dominis servire . . . Deus, inquit Propheta, dissipabit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt; quoniam Deus sprevit eos. Et Apostolus: si hominibus placerem Christi servus non essem. Volens itaque hominibus placere, Deo non places; si non places, non placas.

(2) Qui mundum diligit, et Dei constitutus est inimicus. Suscipiat autem qui ejusmodi est reconciliationis officium? Nunc mediatoris, qui etiam proditoris scelere inimicitias cumulavit? Ut merito jam non ut hostis, sed ut traditor judicetur, ut Judas utique non ut Saulus . . . Quid enim? horum sibi conscius homo, tanquam qui justitiam fecerit, divino sese vultui sistere non veretur, tanquam domesticus intrat et exit, magistrum salutat, genua flectit, osculatur ore sacrilego, dolose agit; sed in conspectu Dei? ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

---

(1) *S. Bern. Ep. 42 ad Henr. Sen. c.* 2.
(2) *Idem Declam. c. 8.*

XXV.

Divitiae contemnendae.

Cavete (1) ab omni avaritia, (2) quae est idolorum servitus. (3) Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem o homo Dei haec fuge, sectare vero justitiam, pietatem.

Quaenam sub sole major vanitas? (4) Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis; nec recogitat dicens: cui laboro et fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est et afflictio pessima. Audi igitur qui horum sit fructus. (5) Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quae advenient vobis. Divitiae vestrae putrefactae sunt et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum aeruginavit et aerugo eorum in testimonium vobis erit et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novis-

---

(1) *Luc.* 15. (2) *Eph.* 5. (3) 1. *Tim.* 6.
(4) *Eccel.* 4. (5) *Jacob.* 5.

simis diebus. (1) Divitias quas devoravit evomet, et de ventre ejus extrahet eas Deus.

(2) Obsecro itaque te et repetens iterum iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquae militiae putes, id est, ne lucra seculi in Christi quaeras militia: ne plus habeas quam quando Clericus esse coepisti.... nonnulli enim sunt Clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete et fallaci diabolo non habuerant. (3) Quid enim? funes ceciderunt tibi in praeclaris, et tu opibus inhias terrenis? Si vis simul habere et haec et illa, breviter tibi respondebitur: memento fili, quia recepisti bona in vita tua. Recepisti, dixit; non rapuisti: nec etiam tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus aliena non rapias... Quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

XXVI.

Honores metuendi.

Noli (4) quaerere a Domino ducatum, neque a Rege cathedram honoris. (5) Quoniam judicium durissimum his qui praesunt fiet; ex-

---

(1) *Job.* 20. (2) *S. Hieron. Ep.* 2. *ad Nepot.* (3) *S. Bern. Epist. ad Falconem.* (4) *Eccli.* 7. (5) *Sap.* 6.

guo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, aequaliter cura est illi de omnibus: fortioribus autem instat fortior cruciatio.

(1) Considero gradum, et casum vereor. Considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, et e vicino periculum reformido; pro eo quod scriptum est: homo cum in honore esset non intellexit. . . ac si diceretur; honor absorbuit intellectum . . . Itaque ascendisti in altum; noli altum sapere, sed time; ne forte contingat sero miserabilem illam emittere vocem: a facie irae et indignationis tuae elevans allisisti me. Altiorem quippe locum sortitus es; sed non tutiorem; sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste: locus inquam in quo stas, terra sancta est.

(2) Si igitur ii qui necessitate trahuntur; non habent quo fugiant et quo se excusent, si rem male administrent et sint negligentes. . . Quanto magis ii, qui in hoc studium suum ponunt, et illud irruunt. Qui est autem talis,

---

(1) *S. Ber. Ep.* 238 *ad Eug.* (2) *S. Chrys. Hom. in Ep.* 34 *ad Heb.*

longe magis se omni privabit venia. (1) Sed et hoc praetereundum non est, quia sicut is, qui regiminis apicem invitus assequitur; si quid illic asperum, si quid patiatur adversum ad cumulum sibi provenit meritorum, et pro tribulatione quam tolera, non incassum exultationis aeternae praemium sperat; sic ille qui ultroneus ambit vel importunus ingeritur, vix pro adversitate quam in regimine patitur, praemium consequetur . . . Domino de talibus attestante: quia receperunt mercedem suam.

XXVII.

Inordinatus erga propinquos affectus resecandus.

Nolite (2) arbitrari, inquit Christus, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. (3) Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei. (4) Sequere me et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

(5) Quid facis in paterna domo delicate

---

(1) *S. Pet. Dam. Opus.* 22 *contra Cler. Anticos.* (2) *Matt.* 10. (3) *Luc.* 9. (4) *Matt.* 8. (5) *S. Hier. Ep.* 1. *ad Heliod.*

miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems acta sub pellibus? Ecce de coelo tuba canit: ecce cum nubibus debellaturus orbem Imperator armatus ingreditur: ecce bis acutus gladius ex Regis ore procedens obvia quaeque metit: et tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de umbra egrederis ad solem? Corpus assuetum tunicis loricae onus non fert. Caput opertum linteo galeam recusat ... Recordare tyrocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in Sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non te patri parciturum esse non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere; ecce donativum quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine, scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat, percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem... Gladium tenet hostis ut me perimat, et ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem militiam Christi deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo, quam etiam omnibus ejus causa debeo? Domino passuro timide Petrus consulens scandalum fuit, Paulus retinentibus se fratribus ne Jerosolymam pergeret respondit: quid facitis plorantes et conturbantes cor meum? ego enim non solum ligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum.

XXVIII.

Quorum devitanda consuetudo.

Subtrahe (1) te ab omni fratre ambulante inordinate, (2) neque cum his qui in levitate ambulant participem te praebeas; (3) multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit. (4) Si ergo te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint veni nobiscum; ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum a semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt, (5) nam qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.

(6) Tales igitur habeto socios quorum contubernio non infameris; si Lector, si Acolytus te sequantur, non ornentur veste sed moribus, nec calamistrato crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur . . . Negotiatorem Clericum et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge. Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimae. Tu aurum contemnis, alius diligit: tu calcas opes, ille sectatur: tibi cordi silentium, mansuetudo, secretum: illi verbositas, attrita frons, cui nundinae, fora placent, et plateae, in tanta morum discordia, quae potest esse concordia?

---

(1) 22. *Thess.* 3. (2) *Tob.* 3 (3) *Tim.* 2. (4) *Prov.* 1. (5) *Prov.* 13. (6) *S. Hier. Ep. ad Nepot.*

(1) Non audistis? Vitate canes, vitate malos operarios. Qui sunt isti? Homines hujus seculi, qui non sequuntur vestigia Christi. Rogo te quid tibi demonstrant? Dic mihi: castitatem quam non habent? Jejunium quod odiunt? . . . Humilitatem quam opprimunt? Sobrietatem quam negligunt? etc. Nescio autem quid vis studere cum ipsis.

(2) Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: et qui communicaverit superbo induet superbiam. Pondus super se tollet qui honestiori se communicat et ditiori te ne socius fueris. . . Si necessarius illi fueris supplantabit te, et subridens spem dabit, narrans tibi bona, et dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter, et in novissimo deridet te, et postea videns derelinquet te, et caput suum movebit ad te. . . . Advocatus a potentiore discede, ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus sis, impingaris; et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex aequo loqui cum illo: ne credas multis verbis illius; ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcet de malitia: cave tibi, et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas.

---

(1) *S. Bas. Tract. ad Virg. devotam. c. 1.*
(2) *Eclli. 13. integro fere capite.*

XXIX.

Qui frequentandi et consulendi.

Amicus (1) fidelis protectio fortis: qui invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitae et immortalitatis, et qui metuunt Dominum inveniunt illum... In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere; ut omnem narrationem Dei possis audire et proverbia laudis non effugiant a te. (2) In proverbiis eorum conversare: ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam intellectus.

(3) Horum acquiescendo consiliis, nec praeceps eris in sententia, nec vehemens in vindicta. Non in corrigendis remissior, non severior in parcendis, non pusillanimis in expectandis, non superfluus in victu, nec notabilis in vestitu, non citus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator.. Et ut brevi omnia sermone concludam, si his credideris in omnibus exemplo Apostoli honorificabis ministerium tuum.

(4) Habeas igitur tecum, quorum vitam verearis et verba, qui te etiam si velis devia-

---

(1) *Eccli.* 6. (2) *Ibid. c.* 8. (3) *S. Bern. Ep.* 42. *ad Henr. Sen. Epis. c.* 1. (4) *Per. Bles. de vita morib. et Offic. Praes. et Cleric.*

*

re non sinant, refraenent praecipitem, confirment dubium et excitent torpescentem. Insolentia magna est non pro ratione, sed pro libidine agere, et bestiale est appetitum consilio anteferre ... omnia ergo cum consilio et modesta maturitate disponas. Si rem proposueris arduam, prius tecum delibera, postea cum multis quorum fidem probaveris ... Ubi autem consilium familiare non sufficit, eorum consilium explora, licet familiares tui non sint, quos organa Spiritus Sancti esse non ambigis.

XXX.

Ductore in via salutis opus est.

Est (1) via quae videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. (2) Inquire ergo tibi aliquem fidelem virum qui eat tecum, (3) consiliarius sit tibi unus de mille. (4) Evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus; (5) sine consilio ejus nihil agas et post factum non poenitebis.

(6) Quamdiu igitur mortali hoc peregrinamur in corpore, habemus opus ductore pervigili, cujus sano consilio, cujusve circumspecta prudentia adversariorum spiritualium cognoscamus insidias, emergentia evadamus pericula,

---

(1) *Prov. 16.* (2) *Tob. 5.* (3) *Eccli. 6.* (4) *Ibid. v. 36.* (5) *Eccli. 32.* (6) *B. Laur. Justin. de Instit. et Regim. Prael. c. 3.*

casus vitemus noxios, carnis fugiamus vitia, adhortemurque quotidie ad studia actusque virtutum; (1) quia privato nos amore diligimus, clausis oculis in nostra nobis deceptione blandimur. (2) Caveamus vero tales tentationes superbissimas et periculosissimas, magisque cogitemus et ipsum Apostolum Paulum, licet divina et coelesti voce prostratum et instructum, ad hominem tamen missum esse... Cogitemus centurionem Cornelium, quamquam exauditas orationes ejus eleemosynasque respectas Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum... Nonne cum Moyse Deus loquebatur, et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi, a socero suo, alienigena scilicet homine et maxime provido et minime superbo accepit.

(3) Quin et haec institutio non solum per veram discretionis viam recto tramite docebit incedere, verum etiam a cunctis fraudibus et insidiis inimici servabit illaesum... Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus, velut e tenebroso ac subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem et traductus quodam modo ac dehonestatus abscedit.

---

(1) *S. Greg. Hom. 4. in Ezech.* (2) *S. August. Prolog. de Doct. Christ.* (3) *Cass. Coll. 2. c. 10.*

XXXI.

Beatissima Virgo Maria speciali cultu honoranda.

Maria (1) de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. (2) Quid nobilius Dei matre, quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contactu generavit? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente: corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem sed Deum quaerere . . . Talis fuit Maria ut ejus unius vita omnium sit disciplina . . . Quantae in una Virgine species virtutum emicant! Secretum verecundiae, vexillum fidei, devotionis obsequium . . . Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis ostendunt.

Maria nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor et praefulget in supernis et inferos penetrat; terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes,

---

(1) *S. Matth.* 1. (2) *S. Ambr. l.* 2. *de Virg. c.* 2. (3) *S. Bern. Hom.* 2. *super. Missus. est.*

excoquit vitia. Ipsa inquam est praeclara et eximia Stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus seculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebrae naviculam concusserint mentis, respice ad Mariam: si criminum immanitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso, cogita Mariam; in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde . . . Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis.

His omnibus adjiciemus sequens Speculum ex placitis SS. Gregorii et Bernardi constatum.

SPECULUM BONI PASTORIS EX SS. GREGORIO ET BERNARDO.

Pastor eligendus, sit vir probatus non probandus, quia in curia plus deficiunt boni, quam meliorantur mali.

Assumendus potius cunctans et renuens quam volens et recurrens.

Compellendus intrare qui praeter Dominum timeat nihil, nihil speret nisi a Domino.

Sit in cunctis bene moratus,
In consilio providus,
In jubendo discretus,
In disponendo industrius,
In agendo strenuus,
In loquendo modestus,
In silentio discretus,
In adversitate securus,
In prosperitate devotus,
In zelo sobrius,
In misericordia non remissus,
In otio non otiosus,
In convivio non effusus,
Sit actione praecipuus,
Prae cunctis contemplatione suspensus,
In verbo utilis,
Singulis compassione proximus,
Bene agentibus per humilitatem socius,
Contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus,
Internorum curam in externorum occupatione non minuens,

Externorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens,
Cunctis passionibus moriens spiritualiter vivat,
Prospera mundi postponat,
Nulla adversa pertimescat,
Sola interna desideret,
Pietatis visceribus affluat,
In crucis rei familiaris non anxius,
Iis praeficiat fidelem servum qui non fraudet, prudentem qui non fraudetur,
Si non inveniat fidelem vel prudentem, potius sustineat minus fidelem, quam se immergat labyrintho huic. Judas fuit oeconomus Salvatoris.
Non de dote viduae et patrimonio crucifixi se vel suos ditare festinet,
Secularia negotia aliquando ex compassione toleranda numquam ex animo requirat,
Vulgus non spernat, sed doceat,
Divites non palpet, sed terreat,
Pauperes non gravet, sed foveat,
Pascat gregem exemplo aedificationis, verbo praedicationis, fructu orationis,
Habeat bonitatem, disciplinam, scientiam; prima dat exemplum, secunda corripit, tertia instruit,
Habeat eruditionem sed multo magis unctionem quae sola docet de omnibus;
Caveat ne alios juvando se deserat, ne alios elevans cadat,
In vultu, in habitu, in incessu illorum qui

circa se sunt nihil residere impudicum; nihil indecens patiatur,
Non de severitate sit oneri, nec de familiaritate contemptui,
Sit illi necessaria oris custodia, quae tamen affabilitatis gratiam non excludat,
Orandi officium gerat,
In omni re plus fidat orationi, quam suo labori,
Amabilem se praebeat non verbo, sed opere,
Reverendum se exhibeat non fastu, sed actu,
Humilis sit cum humilibus,
Duros dure arguat,
Malignantes coerceat,
Reddat retributionem superbis,
Animum habeat liberum, nobilem, firmum, invictum, amplum;
Liberum, quem nulla sibi vindicet violenta occupatio;
Nobilem, quem nulla trahat indigna affectio,
Firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio,
Invictum, quem nulla fagitet etiam continua tribulatio,
Amplum, quem nulla coarcet rei temporalis amissio,
Actu sit severus, vultu serenus, verbo serius,
Tales habeat familiares quos postmodum elegisse non poeniteat, tales qui fraenent praecipitem, dormitantem excitent: quorum libertas excedentem corrigat extol-

lentem reprimat, quorum constantia nutantem firmet, erigat diffidentem.

Si, Pastor dilecte, tuos componere mores
Est animus, speculum consule, tolle, lege.

MONITIONES S. CAROLI BORROMÆI AD CLERICOS ET SACERDOTES.

Excerptae ex Concil. IV. Mediol. Parte 3. num. VII.

Pervetus illud institutum est tum sanctorum Patrum usu, tum ecclesiae auctoritate comprobatum, ut quae sacerdotalem clericalemque disciplinam, officia ad partes maxime attingunt, ea certis monitionibus comprehensa, ab Episcopo clero proponantur. Cujus instituti ratione atque exemplo nos adducti, monitiones infra ordine praescriptas, edendas censuimus, ut diligentius ac religiosius iis universus clerus esse conformet.

Ad universum Clerum.

1. Primo fratres et filii in Christo carissimi, memores perpetuo estote vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster: qua assidua recordatione, memoriaque excitati, eam vos virtutem induite, ut videant alii quasi lumen aliquod vestram sanctitatem elucere. Quae si

magna in aliis vitae christianae institutis requiritur, certe in vobis, qui mysteriorum Dei ministri, divinaeque gratiae dispensatores estis, major inesse debet. Et sicut ordine sacro a reliquis hominibus sejuncti estis, ita a communis fidelium vitae usu sejuncti, praecipuum quoddam atque hoc praestantius vivendi genus sequimini, quo ordinis dignitate praecellitis. Coelestem in terris vitam tamquam Angeli Dei moribus vestris exprimere usque adeo studete, ut a vobis divinarum virtutum exempla ad caeteros emanent. Una animi consensione, unoque spiritu in iis elaborate, ut divino cultui et coelestium rerum meditationibus et orationi et sacrarum Ecclesiasticarumque litterarum studiis vacetis; tum depositis saecularibus vanisque sollicitudinibus ab omni vitio alieni in via Domini recte ambuletis.

2. Charitatem imprimis, quae seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectimini. Humilitatem, mansuetudinem, patientiam, justitiam, temperantiam, officiaque christianae pietatis reliqua colite. Quaecumque denique sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque sancta ac religiosa, ea cogitate, eaque agite. Virtutes sanctorum Patrum, quas praecipuas et quasi haereditaria vobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare solum, sed omnino exprimere certatim contendite. Utque illi, sic vos, abstinentiae et jejuniis dediti, clericalis disciplinae ac vitae castissimae studiosi, tum patriae coelestis sitientes, Deo servire assiduis

divinarum laudum officiis, et in Ecclesia, quasi in perpetua vestra sacerdotali, clericalique statione continenter versamini.

3. Omnes qui canonicarum horarum officiis devincti estis, statas eas preces horarias recitate ad praescriptam rationem ac ritum. Nec vero negligenter, sed attente, pie, decore, supplicique mente illas dicite. Expletis canonicarum horarum officiis, si quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commiseritis, paululum colligentes vos veniam a Deo petite.

4. Qui sacerdotes estis, missae sacrificium saepius facite sancte ac religiose. Ad illud faciendum parate vos omni pietate, in tam alti mysterii meditatione toto animo defixi: et quo purius id faciatis, propriam conscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite; tum singulis saltem hebdomadis, atque adeo saepius, et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, confitemini. In ea sanctissimi sacrificii actione ab erroribus vel levissimis omnino cavete. Quae de illo pie riteque celebrando praescripta sunt, ea vos studiose diligenterque servate.

5. Diaconi, subdiaconi et clerici inferiorum ordinum, quicumque estis, quae de confitendis saepe peccatis, de communione frequenter sumenda vobis justa sunt, integre et sancte omnia, ut debetis, praestate. Ecclesiasticae militiae omnes vos adscripti estis, ad pietatis religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite. Prae omnibus imprimis sancta oratione

vos assidue exercete; tum in meditationis tacitaeque piae orationis studio singulis diebus, certo temporis spatio, toto castissimi animi sensu incumbite.

6. Haec sanctis precibus praeter caetera supplices, praesertim afflictis rei christianae temporibus, orate Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis; ut misereatur populi sui: ut fidelium animos ad vitia fugienda, ad virtutesque amplectendas Sancti Spiritus sui ardore inflammet. Ut e principum regumque animis evellantur, si quae sint, discordiae semina. Ut ii una animi consensione Christi regnum propagare studeant, unamque Dei gloriam atque Ecclesiae matris defensionem propositam habeant.

7. Quidquid vero temporis a divinis officiis, ab orationis contemplationisque exercitatione, ab ecclesiasticis functionibus et ab illis necessariis actionibus vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec vero in rerum novarum curiositatibus illud conterite; sed cum in sortem Domini vocati sitis, in ejus lege die ac nocte meditemini. Sacrarum igitur litterarum studia diligentius colite, quae usque adeo complecti debetis, ut qui aspernetur, contra eum dicat Dominus: *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Frequentes ad statas lectiones et ad litterarum tractationes vobis praescriptas convenite. Attento animo in iis adeste, atque in dies ad uberiorem sacrorum studiorum fructum progressionem

aliquam habete, ut ad Episcopum aliquando vocati et diligentiae et doctrinae testimonium detis.

8. Lectione librorum spiritualium et clericalium, qui probati sint, animos mentesque vestras pascite; cum iis et praeceptorum Ecclesiae cognitionem, et preces horarias recitandi peritiam, et Ecclesiasticorum rituum, ceremoniarumque notitiam conjungite. At libros de rebus jocosis, ridiculis, obscaenis, inanibus, ad poesisque profanae studium pertinentibus, vulgari aut latino sermone conscriptos procul abjicite. Nec vero musicas cantiones ridicule, voluptarie, parumque pudice exaratas adhibete.

9. Quotidie aliquid ex sacris Bibliis legite; ac, si per Ecclesiasticas occupationes licet, aliquid item ex Sanctorum patrum opusculis; atque alios praeterea libros de sacerdotalis, clericalisque vitae rationibus et officiis, de animarum cura, de christianae pietatis studiis et exercitationibus, de aliisque ejusdem generis pie confectos, ita legite, ut quaecumque ad vitae sanctae normam accomodata ex illis animadvertistis ac didicistis, moribus exprimatis.

10. Conciliorum item provincialium ac dioecesanorum constitutiones et decreta non percurrite solum, sed usque adeo studiose legite, ut quae legeritis, post etiam taciti vobiscum aliquando mente reputetis ac videatis simul, non solum si quiddam est, quod contra illorum praescriptum egeritis, verum si quid etiam aliud est, quod ex eisdem exequi, praestareve omi-

seritis aut neglexeritis. Quod ut praestetis, curate omnino atque efficite.

11. Estis divina misericordia in ecclesiastico ordine constituti ad gloriam Dei conservandam, propagandamque, ideo tum ordinis vestri ministerium, quod explere debetis, videte; tum dignitatem ac decorem servate. In incessu, statu, gestu, ita vos praebete, ut ab ordinis quem suscepistis, nomine et ratione nullo sane modo discrepetis, proposito vobis beati Ambrosii judicio, qui clero adscribi hominem recusavit, propterea quod ejus gestus et incessus dedeceret.

12. Habitu non exquisito, non delicato nimis; rursus non sordido, non neglecto, sed gravi et talari, atque ejusmodi tum domi tum foris pro uniuscujusque vestrum ordinis gradusque ratione utimini, ut a decretis eo de genere editis, nulla in re vel minima discedatis. Coronam quod insigne est ordinis clericalis, pro ratione ordinis, quo vos singuli initiati estis, latam et conspicuam deferte.

13. Parca et frugali mensa contenti sitis, et supellectili etiam modesta ac tenui potius. Ab omni splendido apparatu, pompaque saeculari abstinete. Imagines domi non profanas, sed eas habete quae pietatis et religionis argumentum et adjumentum praebeant. In omni vita a fastu, luxu, ambitu, ambitioneve et a vanitate longe refugite.

14. Nec verbis quidem praescriptum vitae modum pervertite. Nihil scurriliter, nihil joco-

se, nihil indecore, nihil turpiter loquamini. Absint a vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, levitas, assentationes ac nugae.

15. Temperantiae clericalis disciplinam vobis praescriptam in reliquis etiam omnino tenete. Comessationes, compotationes, convivia publica, laicaliave, tum maxime in quibus mulieres intersunt, evitate. Hospites excipite, at illis excipiendis intra parsimoniae fines vos continete; ita ut clericalis frugalitatis, non sumptuosi convivii testes illos habeatis.

16. A ludis, spectaculis, circulatorumque, atque id genus vilium hominum praestigiis procul estote. Arma abjicite. Sic denique cor vestrum corroborate, ut inania spectacula non appetat, a mundi ludis atque ineptiis abhorreat.

17. Sensus autem vestros ita dirigite, ut cum a Deo utiliter dati sint tanquam rationis ministri, ne eos perperam adhibeatis sicut satellites cupiditatum. Sit igitur vester oculorum aspectus simplex et pudicus; aurium sensus castus et prudens: casta mens, casti omnes sensus: vitae et morum consuetudo casta et spiritualis. Ad eorum Sacerdotum, qui in ejusmodi vitae studiis ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos ad jungite, ex qua nobis vestrae ad sancte agendum progressiones constent.

18. Ad castitatem autem conservandam munite omnem viam: legite propterea saepe illum (inter opera) Beati Cypriani martyris de singularitate Cl ricorum librum, qui vos in hac ut in aliis instruet virtutibus. Suspectarum au-

tem mulierum consortium omnino vitate. In famulatu laicorum ne sitis, multo minus feminarum quamvis nobilium: ne vero illas musicam, litterasve docete. Ædes vestras ne locationi laicis date, quorum vita, moresque suspecti sint.

19. Saecularibus negotiis, ut est S. Pauli Apostoli documentum, ne vos implicate. A cujusvis generis mercatura quaestuosa, omni negotiatione, praediorum conductione, tum aliis, prorsus cavete. Ne pecuniae, lucrive avidi sitis. *Nemo potest servire Deo et mammonae: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alternm contemnet*, inquit Christus Dominus. Si qui pauperes estis, ne cupiatis divites fieri, ut ne incidatis in tentationes multas, et in laqueum diaboli.

20. Paupertatem vestram ne moleste ferte: paupertatem dilexit et docuit coelestis magister Christus, qui nascens in praesepio ponitur, et nudus in cruce moritur. Scitote paupertati socias adjungi sobrietatem, abstinentiam et reliquas virtutes quibus praelucere oportet Ministros Dei.

21. Proponite vobis sanctorum veterum Patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quaerebant, et nihil iis tamen deerat; imo in paupertate illis aliquando abundabat, quod aliis erogarent. Ne igitur, quia tenuem redditum habetis, lucrum quaerite; nec quaestum appetendo, injuriam vestro ordini facite avaritiae sordibus voluptati.

22. Non saeculi vos mercatores, non mam-

monae ministri estis, sed Christi mercatores: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia cum caritate conjuncta facite thesauros in coelis. Studete vos lucrari animas Deo, et coeleste horreum augere. Exemplo Sanctorum, vos paupertate, sobrietate, et parsimonia ita agite, ut non modo a supervacanearum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras et altaria exornetis, sarta tecta habeatis, sacra supellectili instruatis; alienis etiam necessitatibus subveniatis, et pauperibus opitulemini.

23. Qui vero uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias e quarum praediis fructus percipitis, eo magnificentius et angustius, quo amplioribus donis, bonisve, angustiorique liberalitate illae dotatae sunt illustri structura, praeclaro opere reficite, egregiisque muneribus exornate e tum omni ecclesiasticae supellectilis apparatu instruite.

24. Christi visceribus substantiam ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis viduis, pupillis, aegrotis, in vincula conjectis, captivis, quibus egentibus et esurientibus, cum subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatae charitatis rei estis in conspectu Domini. Memores estote ejus, quod a sanctissimo Ambrosio scriptum est: *Sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiae ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes perve-*

nirent. Vos item alii, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque usum commissum est, cavete ne ambitione, aut cupiditate prolapsi, in alium, quam cui addictum est convertatis; idque propterea sacrilegii rei damnationem aeternam subeatis.

25. Universi autem vos et singuli ecclesiastici ordinis homines, ut summatim complectamur, quae muneris vestri sunt vobiscum frequenter recolite, ministerium vestrum explere studete; sanctissima studia religionis et officii vestri rebus aliis potiora ducite. In rerum divinarum sacrarumque cognitionem omni cura incumbite: quae divina, quae sempiterna sunt, divitiarum, et honorum, et terrenarum rerum cogitationibus abjectis, amplectamini: restincto cupiditatum ardore, integros castosque vos servate: mundi voluptates, quae a divinis praeceptis detorquent, declinate: praediorum ecclesiasticorum, quae non avaritiae praeda, sed instrumenta charitati relicta sunt, redditu et fructibus non abutamini.

26. Humilitati studete; charitatis opera praestate; induimini Dominum Jesum Christum, Sanctorumque ejus facta imitamini, ut et horum imitatione, et illius imprimis divinis praeceptis, institutisque conformati, *in vocatione qua vocati estis, digne Deo ambuletis;* tum, vitae vestrae splendore, laicis hominibus lumen praeferatis ad vitam sancte instituendam; tum vos repositam vobis justitiae coronam demum percipiatis.

27. Omnes praeterea et singuli qui Ecclesiae ministerio adscripti aliquo modo estis, Dioecesim et Ecclesias, quas in ea obtineris, quibusve adscripti estis, stationes vestras, in quibus manendum vobis sit, putate; in illis ipsi residete, debitis muneribus atque oneribus satisfacite. Alia item agite ac praestate ex praescripta, conciliariis decretis, fructuosae salutarisque residentiae ratione.

28. Quicumque item Clerici minorum ordinum estis, in Ecclesiis quibus adscripti estis, singuli ordinis quo initiati estis functiones tali pietate obite, ut digni habeamini qui deinceps altiorem gradum assecuti, sanctae Dei Ecclesiae inserviatis. Nemo autem vestrum, quicumque estis, si alicui functioni estis deputati, ab ecclesiastica statione, personalisque residentiae munere discedat, nisi causis per Episcopum probatis. Haec quae communiter atque universe vos moniti estis, singuli servate studiose ac diligenter.

Ad Praepositos Capitulorum et Canonicos.

29. At propterea sigillatim nominatimque vos, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis; Canonici item, tum ejusdem Ecclesiae, tum reliquarum quarumvis Ecclesiarum Collegiatarum, vel urbanarum, vel dioecesanarum, quicumque sitis, in omni canonicalis disciplinae officio ita agite, ut canonice, nempe canonum legibus, ad vitae vestrae institutum

pertinentibus, congruenter vivatis. Id primo maxime studete, ut in conspectu Dei omnipotentis, puro corde et casto corpore ministretis. Tum singuli vos ordinis, dignitati aut canonicatui annexi, functiones explete, canonicalisque muneris partes praestate.

30. Omnes in choro statis horis assistite, et ad Deum pro fidelibus pias religiosasque fundite precationes. Dum eo loco estis, memores estote adesse Christum Jesum Dominum, cui servite cum timore et tremore. Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu. Attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebrate: et psallite Deo in conspectu Angelorum, cantantes in cordibus vestris Domino.

31. In choro nemo privatim, nemo tacite officium recitet, sed omnes pariter, quicumque adestis, senes cum junioribus, laudate nomen Domini in psalmis, hymnis et canticis. A quibuscumque colloquiis, et a litterarum et librorum lectionibus, atque ab omni vagatione abstinete. Pro temporis autem et officii ratione sedete, state, genua flectite, caput aperite et inclinate; accurate demum: omnia observate quae eo de genere vobis praescripta sunt, ita ut vestro exemplo aliis Sacerdotibus, Clericisque, et recte riteque psallendi, et sancte orandi, et pie agendi animum addatis. In psalmorum autem, canticorum, et hymnorum intelligentiam studiose incumbite, ut dum psal-

litis, pro sensuum sanctissimorum quos mente concepistis, ratione, vos ad omnem pietatis devotionisque affectum excitetis.

32. Non ordinariae distributionis lucro adducti, sed Dei caritate, religionisque cultu commoti, divinis officiis adeste; ut vere, ex animoque psalmi verba illa concinatis: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.* Divinis officiis absolutis, paululum omnes in choro pie orate.

33. Canonicales vestros conventus statis hebdomadae diebus capitulariter habete. Omnes, qui debetis ad illos convenite. Singuli ordine et loco sedete, sententiam modeste dicite, et suo quisque loco non praepostere. A verbis scurrilibus abstinete. In rebus consultandis rixas, jurgia et contumelias cavete. Priori loco tractanda proponite, quae ad divinum cultum ad spiritualis vitae progressionem, ad ecclesiasticam disciplinam tuendam; tum quae ad rerum temporalium gubernationem pertinent ne negligite.

34. Omnia imprimis agite pace mutua, concordi voluntate, et caritate fraterna vos invicem diligite; canonici enim estis, qui, sicut pro collegii ratione, ex antiquo instituto, una in collegiata Ecclesia, unaque item in canonicali domicilio collocati fuistis; ita uno pacis et caritatis foedere, unaque animorum consensione conjunctissimi, sicut nascentis Ecclesiae Ministri, quorum erat cor unum et anima una, experiendo videte, sicut in psalmo scriptum

est: *Quam bonum et quam jucondum sit, habitare fratres in unum.*

35. Quicumque vero estis, qui inter Canonicos praepositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumve obtinetis, sicut honore et dignitate praestatis, ita virtutum exemplis, vigilantique in vestri muneris, curaeve partibus obeundis sollicitudine praelucete.

Ad Parochos et alios animarum curam gerentes.

36. Parochi praeterea, et caeteri quicumque estis, etiam Praepositi, Archipresbyteri, aliive qui animarum curam geritis, praeter ea quae vos cum reliquo Clero communia universe monuimus, illa etiam quae praecipue de vobis decreta sunt, praestate omni sollecitudine.

37. Imprimis oves vobis concreditae cognoscendae sunt, et appellandae nominatim, pascendae et custodientae. Animarum igitur numerum in catalogum redigite. Eorum qui baptizantur, qui item confirmantur, et compatrum etiam qui adhibentur nomina describite. Matrimonia in codicem referte. Parochiae vestrae incolarum vitam et mores investigate.

38. Indagate omni studio, si qui haeresi contaminati sint, aut suspecti; aut qui sint qui haereticorum libros habeant, vendant, emant importent, vel legant. Investigante praeterea de iis qui in vestra parochia docent, eorumque vitam, mores, et fidem observate; cave-

te et videte, ne superstitiones, magicae cantiones, et ejusmodi diabolicae superstitiones in populo vestro sint. Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, usurarios, blasphemos. Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui, festis diebus, non Deo, sed aleis, ludis, choreis, diabolo serviunt, quique festorum dierum cultum quovis modo violant: illos omnes ab ea male agendi corruptela revocare, ac deterrere, omni pietatis officio studete, tum Episcopo etiam, si opus erit, significate, ut pro curae episcopalis officio, salutare remedium afferatur.

39. Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, caeterosque aliena ope egentes, quibus et salutari consilio, et consolatione, et re subvenite, aut si minus re potestis, cohortatione alios accendite ad eos sublevandos. Sique illorum gravior inopia deposcit, festis etiam diebus, a pia fidelium liberalitate aliquid in Ecclesia colligendum curate, ut ab Episcopo praescribetur, quod ipsis in eleemosynam conferatur. Seorsum etiam locupletes parochiae incolas convenite, quibus pauperum egestates proponite, et ostendite eis divitias a Deo propterea etiam esse tributas, ut inopibus succurrant.

40. Pascite imprimis populum vobis commissum praedicatione Verbi Divini, salutaribus monitis, administratione item sacramentorum, exemplo et oratione. In verbo Dei exponendo plane observate, quae vobis praescripta

sunt. Pueros festis, dominicisque diebus, in doctrinae Christianae rudimentis instruite. Provectioris aetatis homines ad eadem intelligenda invitate. Patres matresque familias monete, ut filios, filias, caeterosque quos in familia habent, ad statas doctrinae Christianae scholas ipsi conducant. Eorum, qui iis scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibete. Curateque ut inter eos caritas, morumque disciplina conservetur.

41. Ne omittite diebus festis inter Missarum solemnia, aliquid ex iis quae in Missa leguntur fidelibus exponere, et sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanare, et aliquando sanctiores illius sacrarum ceremoniarum rituumque rationes et significationes explicare, quo diligentius instructi in dies sacro sancto illi sacrificio religiosius intersint. Docete item quomodo fideles signo Missae celebrandae dato, se corde contrito ad eam sancte audiendam parent. Curate atque efficite perpetuis vestris monitionum officiis, ut in illa, viri aperto capite, mulieres velato, et in omni ejus parte utroque genu flexo, praeterquam in Evangelio, adsint.

42. Instruite etiam eos, quam religiose non solum in Missae sacro, verum etiam in divinis aliis officiis versandum. Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum. Quam valde, dum illa fiunt, celebranturve, fugiendae confabulationes, colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, imo vero inanes co-

gitationes, quibus a pia meditatione et mysteriorum quae aguntur contemplatione, religiosaque oratione animus distrahitur; quam denique studiose vitanda reliqua ab eorum officiorum sanctitate et cultu aliena.

43. Rursus quam sancte item quam religiose, et quam demisso humilique habitu in supplicationibus, Litaniis et stationibus versandum sit. Qua reverentia, quove pietatis studio in Ecclesiis, locisve sacris manendum sit, quaeve ab illis procul abesse debeant. Qua etiam, non solum intima religiosi animi praeparatione, sed externa etiam cultus vestitusque modestia: humili genuflexione et armis depositis ad sanctissimam communionem, tum etiam ad caetera Sacramenta accedendum sit.

44. Tum docete ac monete, quomodo dies festi colendi et sanctificandi sint: ostendite indignissimum esse sacris illis diebus, non modo a nefariis operibus, illicitisque negotiis non abstinere, verum etiam religionis, ac pietatis opera non praestare omni diligentia. Ac praeterea nefas esse, sacros dies ad maxima Dei colenda beneficia, summasque ei laudes persolvendas ac debitum Sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quae ab illo cultu abhorrent: qualia sunt tripudia, ludi, choreae, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus, salutis humanae hostis diabolus oblectatur.

45. Denuntiate item stata sacrorum temporum jejunia, docete quomodo jejunandum,

quae peccati gravitas in violandis sacris jejuniis. Quae praeterea Christianae pietatis officia in Sanctorum vigiliis. Quam sancte observandum quadragesimale jejunium. Statis autem solemnibus, vel Adventus, vel Septuagesimae, vel aliorum temporum celebritatibus praemonete fideles, atque diligenter instruite ad sacra illorum temporum mysteria sanctis pietatis officiis religiose colenda. Utque iis pro temporum solemnitatumque ratione illi instrui possint, saepe monete, ut Dominicis aliisque Festis diebus ad Parochialem Ecclesiam conveniant.

46. Saepe autem ac diligenter eosdem docete quam assidue orandum sit, quomodo et tacita suppliciis mentis meditatione, et piis statis orationibus precandum. Quam studiose ac religiose suscipiendum vespertinae communis orationis institutum, quam diligenter illud semel susceptum pie retinendum. Diebus Dominicis instruite populum, et monete pro quibus oret; tum praeterea, quas singulis hebdomadae feriis precipuas precationes, christianasque meditationes, atque in orando exercitationes sibi propositas in promptu habere possit. Quam saepissime vero sermonibus vestris populo proponite locos perpetuae christianae meditationis, de morte, de judicio, de inferno, de gloria et de praemio Paradisi.

47. Monete praeterea sedulo ac frequentissime patres matresque familias, ut liberos, familiamque suam ad pietati christianarumque

virtutum disciplinam religiose instituant. Ad hoc propterea patresfamilias inducite, ut de vitae spiritualis ratione, et piis exercitationibus libros probatos domi suae habeant, in quorum lectione versentur, seseque ac familiam instituant ad sancte agendum. Tum alia praeterea docete, quae opportuna existimaveritis quibus illi se suamque familiam in christianae vitae institutis atque exercitationibus conforment.

48. In officinis etiam et tabernis disciplinae vitaeque christianae rationem observate; si quid autem vel ab artificibus, vel ab institoribus, operariis ve committi animadverteritis, quod dissolutae disciplinae sit, id, officinarum, tabernarum ve dominos graviter monete, ostenditeque ea in re officii sui partes. Estis participes et socii laborum, curaeque episcopalis, et in messe Episcopo commissa operarii estis; elaborate una cum eo, et contendite ut populus cujus cura geritur, tanquam purum triticum, auxiliante divina misericordia, congregetur in horrea coelestia.

49. *Depositum custodi*, inquit Beatus Apostolus Paulus, id quod vobis singulis dictum esse putate, ut in grege, tanquam deposito fidei curaeque vestrae commisso, diligenter custodiendo, ab omnique peccati labe conservando, cogitationem, sollicitudinem, curam, studiumque omne collocetis. Parochiae igitur unicuique vestrum concreditae viciniam, cum a caeteris vitiis omnibus, vos singuli sollicite cu-

stodite, tum curate etiam, ne odia, simultates, inimicitiae, factiones, necnon temere jurandi, maledicendi, imprecandi pravae consuetudines, ac ne detractiones quidem in ea sint.

50. At vita imprimis et peccata, ad quae populum procliviorem esse animadverteritis reprehendite atque exagitate. Nec vero dissimulate peccata, sed annunciate populo scelera ejus: pubblice peccantes coram omnibus arguite, ut et alii timorem habeant. Idque agite spiritu fortitudinis Domini, et ut strenui ejus milites, bonam militiam militate, nihil inde trepidantes. *Si ab increpatione*, vos monet Sanctus Gregorius, *reticueritis*, *quia contra vos odia insurgere reformidatis*, *non jam Dei lucra*, *sed vestra quaeritis*. Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicujus generis contumeliis, illud vel increpandi, vel palam arguendi officium deserite, modo Christi gloriae et animarum saluti serviatis.

51. Rursus non aucupandae hominum gratiae studio id agere desistite; *Servus Dei non essem si hominibus placerem*, ait Apostolus; vae vobis tacentibus aut dissimulantibus; si grex curae vestrae commissus perierit, sanguinem ejus de manibus vestris requiret justus et omnipotens Deus. Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba vestra blandientia sint, sed ut à Spiritu Sancto scriptum est, *stimuli sint*, *et quasi clavi in altum defixi*. Instate opportune, importune, privatis etiam admonitionibus, consiliis, correptionibus, objurgationi-

bus, ut peccantes, adjutrice divina gratia, in viam salutis revocetis. In usum etiam sancte ita revocate fraternam correctionem, ut non modo mutua christiana caritate vos ipsos corripiatis, sed reliquos item praesertim Parochiae incolas, id caritatis et correctionis officium recte doceatis.

52. Ad sermonum vero, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate praesertim ex doctrina Cathechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salutaris utilitate versari diligenter potestis: neque ad hoc multiplicis vestrae ecclesiasticae tractationis negligite adjumenta, quae aliunde utiliter capere potestis. Caetera autem officia, quae in sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum usum cohortatione, in aegrorum cura, in aliis parochialis muneris functionibus, vobis praescripta sunt, praestate, atque exequimini accurate.

53. Videte imprimis ac perpendite quae sint, et quam religiosae muneris vestri partes: caveteque ut in officiis, et curae vestrae functionibus, non modo quidquam vos non committatis; sed ne omittatis quidem; cum in sacerdotali vita, pro muneris quod sustinetis ratione, tum graviores, tum longe plures quam in caeteris hominibus esse possint omissionis culpae.

Ad reliquos Sacerdotes et Clericos inferioris ordinis.

54. Vos praeterea reliqui Secerdotes, quicumque estis, quibus animarum cura non incumbit, cum alia omnia, quae Ecclesiastici ordinis hominibus, de divinorum officiorum cultu, de vitae honestate, et studiis, et vitae spiritualis exercitationibus praescripta, aut monita generatim sunt, tum quae nominatim, sigillatimque ad praecipuam vestram executionem attinent, praestate omnino.

55. Vos item reliqui Clerici inferiorum ordinum quaecumque ad vos vel nominatim, vel generatim spectant, agite omnia sicut Clericalis vitae ratio Canonum et Conciliorum Decretis praescripta, postulat. Christi estis, nempe de sorte Domini, et ipse Dominus sors, pars scilicet vestra; tales praebete vos, ut et ipsi possideatis Dominum, et possideamini a Domino, vereque dicatis: *Dominus pars haereditatis meae.*

56. Filii mei, nolite negligere: vos elegit Dominus ut stetis coram eo, et ministretis illi. Videte igitur, quam valde intentos vos esse oporteat ministeriis vestris, et quam magna vitae morumque castitate praelucere debeatis. Proborum hominum tantum, praecipue Sacerdotum vitae spiritualis laude praestantium, familiaritate utamini, ex quorum consuetudine tum fructus vos capiatis, tum Episcopus meliorem in dies de vobis opinionem concipiat.

57. Majores vereamini et observate, eisdemque recte monentibus obtemperate. Praeter latinae linguae et litterarum studia, Ecclesiasticae imprimis disciplinae institutionibus diligenter incumbite. Sic demum vos moribus et vitae modestia probate, ut et a Parochis, tum etiam a populo bonum testimonium Episcopus habeat, vosque dignos judicet, quos majoribus ordinibus adscribat.

Ad Parochiarum Lustratores.

58. Vos vero, qui visitationis munus geritis, in explendis muneris atque officii vobis commissi partibus sedulo invigilate atque elaborate: onus quod sustinetis, quam grave sit, quam plenum curis perpendite; tum quam in eo vobis committendo spem, fiduciamque Episcopus habuit, videte; tum efficite, ut ejus exspectationi respondeatis vigiliarum vestrarum studiis assiduaque sollicitudine.

59. Ecclesias, quae in uniuscujusque vestrum regione sunt, sedulo visitate, earumque partes singulas inspicite. Perverstigate in uniuscujusque Parochiae finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes sit, an flagitia, quibus episcopali cura Episcopus medeatur, necesse sit.

60. Ecclesiarum item cultum, nitorem, caeteraque ejus generis omnia curate vestra diligentia, quae totis in Christo visceribus ab unoquoque vestrum expetitur.

Monitionum conclusio.

61. Haec omnia, et singula his monitionibus nominatim sigillatimque expressa, vos omnes ac singuli quorum interest, quanto potestis amore et pietate non amplectamini solum et legite, sed mente animoque comprehendite, servate, omnique sollicita executione praestate, totosque vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum et constitutionum rationem accommodate.

62. Quod omne ut faciatis, sicut nos pro Episcopali nostri officii munere vos commonefecimus, ita etiam unumquemque vestrûm per unigeniti Filii Dei adventum, per ejus crucem, perque animarum vestrarum salutem obsecramus, obtestamur, divinaque contestatione monemus.... Cavete igitur ne quem vobiscum paterno modo agentem, solliciteque monentem et in conspectu Dei vos deprecantem, auditis, eumdem rursus, non in hac vita solum culpas vestras animadvertentem, sed in divino praeterea judicio easdem accusantem audiatis.

63. At ipse Deus et Pater noster et Dominus Jesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono, ita ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, per omnia ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati appareatis ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.

PARTIS SECUNDÆ FINIS.

PARS TERTIA.

DE SACRO SANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

Non (1) est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum (ad Sacerdotes veteris legis), et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. (2) Quoniam igitur sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum-Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere.

Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in coena novissima, qua nocte tradebatur ut di-

---

(1) *Malach.* 1. (2) *Concil. Trid. Sess.* 22. *c.* 1.

*

lectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans; corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis quos tunc Sacerdotes novi Testamenti constituebat, ut sumerent tradidit; et iisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipit per haec verba, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Haec est oblatio munda, de qua supra Malachias, quae omnium legalium hostiarum differentiam tanto excellentius complectitur, quanto excellentior, Deoque acceptabilior est victima, quae offertur et immolatur.

(1) Nam dum conspicis Dominum immolatum, et illic situm Sacerdotem sacrificio incumbentem ac preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? An non potius e vestigio in coelos transfers, an non carnis cogitationem omnem abjiciens, nudo ani-

---

(1) *S. Chrysost. 1. 3. de Sacerd. c. 3.*

mo, mente pura, circumspicis quae in coelo sunt? (1) Quanta idcirco cura adhibenda sit, ut Sacro-sanctum illud Missae Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus a Deo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Quod quidem ut assequatur Christi Sacerdos, varia praestare debet tum ante celebrationem sacrificii, tum ipso celebrationis tempore, tum demum peracto jam sacrificio.

CAPUT PRIMUM.

Quid praestare debeat Sacerdos ante Missae celebrationem.

Ante orationem (2) *praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Quod

(1) *Conc. Trid. Sess. 22. Decreto de obser. et evit. in celeb. Miss.* (2) *Eccli. 18.*

si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audet in oratione interpellare, non praemissa diligenti et accurata praeparatione: quanto magis eundem sua temeritate et audacia irritabit qui Unigenitum suum illi offerre, ipsumque Angelorum et hominem Regem ac Dominum suscipere imparatus praesumet? (1) *Praeparare* igitur *in occursum Dei tui.* Haec autem praeparatio in tribus potissimum consistit, nempe in puritate vitae, in rectitudine intentionis, et in actuali devotione.

ARTICULUS PRIMUS.

De vitae puritate.

Christus Dominus quamvis Apostolis, quos Sacerdotes consecraturus, et sacra Eucharistia refecturus erat, dixisset (2) *Vos mundi estis*; illud tamen adjecit; *qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* His verbis indicans homini etiam a gravioribus peccatis libero, affectus inordinatos, qui sunt animae pedes abluendos esse. Etenim si in veteri testamento, ubi tantum hujus divinissimi sacrificii umbra erat, sub mortis comminatione priscis Sacerdotibus mandabatur, ut ab omni macula et immunditia essent expertes: (3) *Omnis homo qui ac-*

---

(1) *Amos.* 4. (2) *Joan.* (3) *Levit.* 22.

cesserit de stirpe vestra ad ea quae consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. (1) Quo non oportet esse puriorem Sacerdotem novae legis tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum agni immaculati carnem dividentem, os quod igne spirituali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit?

Atque hujus puritatis defectus saepe in causa est, cur Sacerdotes non pauci tam parvum ex frequenti hujus divini sacrificii participatione fructum reportent, adeo ut non immerito hanc Prophetae objurgationem eis adaptaveris: (2) *Comedistis et non estis satiati, bibistis et non estis inebriati, operuistis vos et non estis calefacti, et qui mercedes congregavit misit eas in sacculum pertusum:* nempe in cor distractum et vanitatibus discissum. Ne tamen omnino diffidas, si perfectam istam munditiem tibi deesse deprehenderis; sed frequenti quotidianorum defectuum confessione et cordis contritione animae tuae labes resarcire satagas.

ARTICULUS SECUNDUS.

De rectitudine intentionis.

Secunda Sacerdotis dispositio ad celebrandum est intentio recta; constat enim omnes actiones

(1) *S. Chrys. Hom. 83. in Matt.* (2) *Agg. 1.*

nostras vel vituperii notam, vel virtutis laudem mereri, prout finis quem intendimus laudabilis est vel vitiosus: vae igitur iis Sacerdotibus (1) qui dum... divina mysteria accipiunt, non coelestem panem, sed terrenum quaerunt: non spiritum, sed lucrum, non Dei honorem, sed suam ambitionem: non salutem animarum, sed quaestum pecuniarem: et ita corpus Domini non tam accipiunt quam rapiunt: quia accedunt non vocati a Deo, sed impulsi a sua cupiditate et avaritia.

Quin et illud peculiariter cavendum est, ne ex sola quadam arida et insipida consuetudine ad sacrificium offerendum accedas, sed excelsum aliquem et coelestem finem tibi proponas, quales sunt qui sequuntur. 1. Dei suprema laus et adoratio. 2. Sanctorum in coelis coronatorum religiosa memoria. 3. Peccatorum venia atque remissio. 4. Propriae infirmitatis subsidium. 5. Tentationis amotio. 6. Alicujus boni spiritualis impetratio. 7. Pro acceptis Dei donis gratiarum actio. 8. Auxilium vivorum atque mortuorum. 9. Gratiae interioris augmentum. 10. Perseverantiae in bene coeptis impetratio. 11. Sanctificatio ab omni inquinamento carnis et spiritus. 12. Continuus in virtute et mentis puritate profectus, ut Deo ardentissima caritate adhaereas.

---

(1) *S. Bonav. Tract. de praep. ad Miss. c. 3.*

Alii ex septem orationis Dominicae petitionibus, vel ex septem verbis a Christo in cruce prolatis, totidem fines eliciunt, quos in singulos hebdomadae dies distribuunt.

Quoniam vero personam Christi geris, qui seipsum in salutem totius generis humani Deo Patri obtulit; item et nomine Ecclesiae agis communis omnium fidelium matris, cui satisfactionum suarum dispensationem Salvator noster commisit; ideo in applicatione valoris sacrosancti Sacrificii maxime largum et profusum esse te oportet; non est enim quod repulsam aut audaciae sugillationem pertimescas, utpote cum offeras Deo filium suum unigenitum illi summe dilectum, ac per omnia aequalem, quae quidem victima meriti est infiniti, cujus pretium nullis limitibus terminisve concluditur.

Sed ne a recto tramite in hujusmodi applicatione deviare, et in re tanti momenti officio tuo deesse contingat, operae pretium est advertere triplicem valoris Missae portionem seu triplicem ejus fructum distingui, nimirum generalem, specialem, et medium.

Primus pertinet ad omnes fideles, quos Christus et Ecclesia fructum Sacrificii participes esse volunt, dummodo capaces sint; et in eis nullus obex reperiatur: nec ulla ex parte ministri requiritur applicatio, ut communis iste fructus in omnes diffundatur.

Secundus ita Sacerdoti proprius est, ut alteri non possit applicari; cum enim tamquam Minister publicus pro seipso sacrificium offe-

rat, dicendo *offero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus*, *et negligentiis meis*, eo ipso portionem fructus ejus sibi applicat, quae semel ipsi vindicata, non potest ab altero participari.

Tertius subest liberae Sacerdotis offerentis dispositioni; debet autem fructum illum eis applicare pro quibus specialiter celebrare tenetur, ratione beneficii, vel eleemosynae, vel praecepti superioris, vel alio quocumque titulo, idque ante Missam, vel saltem in Missa ante consecrationem; si enim essentia sacrificii, ut plerique sentiunt, in sola consecratione consistat, applicatio post illam facta non prodesset iis pro quibus fieret, Sacrificio quoad substantiam jam consummato.

Cum autem fieri possit ut illi pro quibus peculariter offerre intendis, fructum sacrificii capaces non sint, vel eo non indigeant, ideo optimum fore censent Theologi, si in eo casu conditionatam habeas voluntatem, et alios substituas qui eo fructu potiantur.

Ad scrupulos denique evitandos, qui circa applicationem istam oriri possunt, debes, rejectis incertis opinionibus, hunc sacrificii fructum primo et principaliter illis applicare pro quibus celebrare teneris, tum sine eorum praejudicio aliis etiam applicare licebit tibi caritate aut alia quavis ratione conjunctis, seu commendatis; tuam intentionem voluntati Christi summi Sacerdotis perfecte conformando et submittendo; sic enim poteris tuta conscientia, ex

infinito et numquam exhauriendo satisfactionum et meritorum ejus thesauro, cujus dispensator constitueris, partem aliquam in plures derivare, quae ex infinita Dei misericordia et bonitate non nisi uberrima sperari potest.

ARTICULUS TERTIUS.

De actuali devotione.

Ignem, (1) inquit Christus Dominus, *veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur.* In hoc igitur sedulo tibi incumbendum est, ut ardentissimum Christi amorem cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum, flagrantissima caritate et devotione compenses. Vix autem fieri poterit, ut fervida illa devotione non exardescas, si fide viva, et intimo sensu sequentia capita mente conceperis.

Primum desumitur ex victima, quae offertur, nempè ipsa est Christus Dominus, verus Deus et verus homo, salvator et judex omnium, non jam mortalis et passibilis, sed immortalis et impassibilis; unde ratione ipsius, actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones trascendit, etiam actus coelituum tanta caritate Deo adhaerentium. Cavendum ergo ne tua irreverentia tantae rei oblationem dehonestes.

Secundum. Ex persona cui offertur, quae

---

(1) *Luc.* 12.

est solus Deus: nulli enim Sanctorum, nec ipsae Beatae Virgini offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura soli Deo debetur; quia per victimae illius mactationem incruentam, agnoscimus Deum esse rerum omnium auctorem et Dominum, profitemurque nos divinae majestati totos devoveri cum victima; cujus sanguinem in hujusce nostri affectus testimonium offerimus.

Tertium. Ex modo quo offertur, nempe ex ipsa consecratione, qua panis et vinum in corpus et sanguinem Christi transubstantiantur, manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem ista actio omnino miraculosa, et excedit omnem creaturae virtutem et potentiam, a nulloque nisi a solo Deo praestari potest.

Quartum. Ex valore ipsius sacrificii, qui ratione victimae infinitum est, sicut merita et passio Christi; ac proinde aeque placet Deo ac mors ipsius in cruce perpessa; licet actualem efficientiam, Deo ita volente, non nisi finitam habeat.

Quintum. Ex fine propter quem institutum fuit: ut nimirum Deo creatori nostro supremum latriae cultum exhiberemus, nostramque servitutem et subjectionem humillime testificaremur. Ut dignas ei gratias pro universis beneficiis perpetuo persolvamus. Ad auxilia divinae gratiae impetranda, et Dei protectionem in omnibus vitae hujus angustiis comparandam. Ad obtinendam peccatorum veniam, ad iram Dei placandam, et imminentia flagella aver-

tenda. Ad succurrendum omnium vivorum et defunctorum necessitatibus. Uno verbo spectaculum factus es Deo et Angelis et hominibus; cave ergo ne quid indecens et ineptum in te appareat, quod Dei ac coelestium civium purissimos oculos offendat, item ne quid agas quo, et Ecclesiae militantis in terra, et patientis in Purgatorio, exspectatio defraudetur.

Sextum. Quoniam vero in hoc incruento Sacrificio, cruentum illud quod semel in cruce peractum est, ex quo omnia bona, omnesque thesauri divinae gratiae profluxerunt, non verbis tantum, sed reipsa repraesentatur et exprimitur; una si quidem et eadem est hostia, idem principalis offerens, idem Christus qui immolatur: idcirco, cum ad sacrum faciendum te praeparas, fasciculum tibi colligere debes ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini, et inter ubera tua collocare, cordisque medullis inserere; mente et affectu sedulo revolvendo omnia tormenta quae pro salute nostra perpessus est: haec frequenter in ore, haec semper in corde habeas; et haec tibi sit sublimior Philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum.

Denique necessaria est ad excitandam devotionem humilitas, quae prae caeteris virtutibus, in institutione hujus sacrificii maxime enituit: item et ingens fames, fervens desiderium, atque ardentissimus amor hujus Angelici Panis, ad quem sumendum vos amantissime invitat Do-

minus dicens: (1) *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

CAPUT SECUNDUM.

Quid praestare debeat Sacerdos in ipsa Missae celebratione.

Quam triste est et deplorandum, (2) ait Card. Bellarminus, videre Sacerdotem divina mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea quae operatur et loquitur stupent ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant; et tamen ipse Sacerdos in medio positus, totus frigidus et quasi stupidus, non attendit quid agat, non intelligit quid loquatur; et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba precipitat, quasi latronibus a tergo insequentibus urgeretur! Clamamus in Sacramento altaris Christum ipsum esse praesentem, et interim nonnulli ita se gerunt, ita sacra tractant mysteria, quasi nihil minus verum esse putarent. Nonne Sacerdoti ejusmodi illud aptissime convenit, quod olim Tertullianus, cum diversam rem pertractaret, postulavit: *sacrificat? An insultat?*

Ut hanc tam gravem objurgationem a te aver-

(1) *Matth. 11.* (2) *Con. 9. Dom. 4. Advent. et lib. 1. de arte bene morien. c. 14.*

tas, sedulo allaborabis ut parato moerentique per poenitentiam animo ad sacrum faciendum accedas, ita ut per exteriora, pietas interior indicetur, rectumque populus exemplum a te desumat; quae agenda sunt non intempestive properes, ea simul cum verbis conclobando, ubi actus prius absolvendi sunt quam verba pronuntientur; quae non secreta, alta et intelligibili voce proferas; quae vero secreta morose et distincte submissa tamen voce exprimas; omnis linguae festinatio prorsus amandetur; quidquid demum vel agendum vel ore proferendum est cum seria mentis consideratione jungatur. Ad hoc comparatum est praesens caput, in quo praemissis, ad singulas Missae partes, brevibus institutionibus, ex praeclaro Ss. Dom. nostri Papae Benedicti XIV. tractatu de sacrificio Missae, ut plurimum, excerptis, pii affectus, ex asceticis optimae notae auctoribus deprompti, tibi suppetent, ex quibus et uberiores profectus spirituales haurire, et pietatem tuam magis ac magis inflammare poteris.

ARTICULUS PRIMUS.

De allutione manuum, vasis sacris, et vestibus Sacerdotalibus.

1. Vetus est Ecclesiae consuetudo, ut Sacerdotes, antequam Missam celebrent, manus lavent: hanc commemorant S. Paulinus Episc. Nolanus Epist. 32. ad Severum, et S. Chry-

sostomus Hom. 20. ad Paulum Antioch. num. 7. ubi sic arguit Sacerdotem : *Non audes illotis manibus sacram victimam attrectare, etiam si mille necessitatibus premaris ? Ne igitur illota accedas anima ; hoc enim multo, quam illud est gravius, et acerbius supplicium importat.* Dum igitur manus lavat Sacerdos, ferventissimo contritionis actu ab omni vel levissima culpa cor suum abluere conetur : eo tendit oratio quam profert. *Da, Domine, virtutem manibus meis, ad abstergendam omnem maculam ; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

2. In rubrica Missalis praescribitur, ut Calix omnino vel aureus sit, vel saltem argenteus, cujus tamen cuppa interne fit auro illita, itidem Patena vel aurea sit, vel ex argento, et deaurata : super os calicis ponatur purificatorium, et super illud patena cum Hostia, quae palla operiatur ; deinde Calix cum his omnibus obducto tegatur velo, et huic Bursa, ejusdem coloris quo sunt caetera Paramenta, imponatur, in quam Corporale conjectum sit plicatum, e lino, ab omni vel serica vel aurea fimbria nudum, omni ornatu detracto. Calicem et patenam, antequam iis utaris, Episcopus consecraverit : Purificatorium vero, Corporale et Pallam, vel Episcopus benedixerit, vel quilibet alius Sacerdos, cui ejusmodi sit potestas talia benedicendi. Calix novum sepulchrum quo conditus est Christus Dominus; patena revolutum lapidem significat supra por-

tam monumenti; Corporale syndonem mundam exprimit, qua Joseph ab Arimathea Corpus Christi involvit; ut patet ex his Hildeberti Archiepiscopi Turonensis carminibus.

Ara Crucis, Tumulique Calix, Lapidisque Patena.
Syndonis officium candida Byssus habet.

Ex quibus admoneris, ut dum ista componis, Passionem Christi jugiter mente revolvas.

3. Ad illud idem spectant vestes Sacerdotales, quarum multiplices sunt symbolici significatus. In Ordinatione Subdiaconi, Episcopus ordinandi caput amictu obnubit, dicens, *Accipe amictum per quem designatur castigatio vocis.* Et Sacerdos Missam celebraturus, accipiens illum, ait: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.* Juxta hanc orationem, ex Ecclesiae sensu, amictus designat normam illam rectam, qua Sacerdos uti debet in omnibus suis verbis; itemque robur illud significat, quo diabolicas tentationes retundere debet et frangere. Non desunt aliae amictus mysticae significationes: quidam aiunt amictum velum illud significare, quo Judaei Christo Jesu faciem velarunt, cum illi colaphos impegerunt, aut spineam coronam quam ejus capiti imposuerunt; vel etiam exprimi Christum sub humanitatis amictu suam abscondisse Divinitatem. Quod vero ad moralem significationem pertinet, nonnulli putant,

amictu salutis galeam significari spemque in Deum, qua hostes nostros superemus, et fortitudinem in divinis exequendis officiis. Dicunt etiam, ex eo quod amictu collum contegimus, de voce, quae per os et guttur emittitur, custodienda; quod super humeros extendatur, de suavi jugo Domini portando nos admoneri, denique quod supra pectus alligetur, Sacerdotibus illud in memoriam revocari, nullis fas esse quam divinis cogitationibus eorum animum patere.

4. Cum Albam induit Sacerdos, ait: *De alba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.* Ex hac oratione facile intelligi potest, per Albam significari Jesu Christi integerrimam et sacratissimam conservationem, quam ab initio suae conceptionis usque in finem in carne duxit: unde Sacerdos dum hoc se indumento induit, acceptae in Baptismo novae et candidae stolae memor, seipsum admoneat, quomodo in sancta et candida conversatione persistat. Docent nonnulli per Albam nobis ob oculos poni Albam illam vestem, qua indutum Christum Jesum Herodes illusit, atque addunt, Albam, de cordis et linguae puritate, quam petimus per Agni immaculati merita, itemque ejus longitudine, de perseverando nos admoneri, eam denique esse beatae symbolum aeternitatis.

5. Cum se cingulo praecingit Sacerdos, ait: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et*

extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis. Ex his verbis claret, non ea duntaxat de causa cingulum adhiberi, ut impediatur ne vestis fluat, ne-ve Sacerdoti offendiculum praebeat, sed quivis facile intelliget in illo non deesse mysticum significatum. Itaque Sacerdos ex hoc admonetur, quomodo, juxta Salvatoris nostri verbum, lumbos per continentiam debeat praecingere, atque ab omni carnis luxuria appetitum fraenare. Quidam pie putant cingulo funem significari, quo Christus Jesus est alligatus in horto.

6. Episcopus dum sinistro Subdiaconi brachio Manipulum aptat, haec profert verba: *Accipe manipulum per quem designatur fructus bonorum operum.* Et Sacerdos, quando illum sumit, ait: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Per manipulum igitur poenitentia debet intelligi, qua quotidiani excessus labes extergitur: in sinistro brachio gestatur, quia in praesenti tempore tantum vita nostra poenitentia emundatur. Addunt praeterea nonnulli manipulo e brachio pendente vincula significari, quibus iterum Christus alligatus est, cum ad columnam flagellandus esset.

7. Episcopus in ordinatione, sinistro Diaconi humero stolam imponit, dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei; adimple ministerium tuum, potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.* Cum vero Diacono Presby-

teratus ordinem confert, stolae, quae ex sinistro humero pendet, partem alteram super dextrum humerum ponit dicens: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.* Cum stolam induit Sacerdos, ait: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis; et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.* Itaque stola suave Christi jugum significat; quia vero nonnisi per obedientiam, et jugo Domini colla subjiciendo, ad eum statum restituendi sumus, unde per inobedientiam primi parentis decidimus, propterea Sacerdos stolam sibi imponens, a Deo petit stolam immortalitatis, quam in Adae praevaricatione amisit.

8. Episcopus quando Diaconum ad Sacerdotium promovet et super ejus humeros Planetam imponit, quae ex anteriori parte pendet, in posteriori complicatur, ait: *Accipe vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem et opus perfectum.* Cum vero planetae complicatam partem explicat ac demittit, ait: *Stola jucunditatis induat te Dominus.* Sacerdos Missam celebraturus, dum planetam induit, ait: *Domine, qui dixisti jugum meum suave est, et onus meum leve; fac ut illud sic portare valeam, quod consequar tuam gratiam.* Planeta igitur charitatem significat, quae cunctis virtutibus supereminet, et earum decorem suo tutamine protegit et illustrat: huic explicationi

suffragantur et aliae quae afferuntur planetae significationes. Vocatur jugum Domini et jugum leve, cujus suavitas e charitate proficiscitur. Alii subdunt planetam esse vestem illam nuptialem de qua loquitur Dominus in Evangelio; at per vestem illam nuptialem, charitatem intelligunt SS. Patres. Denique qui dicunt per planetam significari Christi tunicam inconsutilem, quam illi detraxerunt Judaei, quando cruci illum affixerunt, moralem etiam hunc innuunt significatum; dicendo Christum-Jesum charitate impulsum crucem subiisse, et charitatem nostrorum operire multitudinem peccatorum.

9. Denique, ne aliquid huic argumento desit, Episcopus dum Subdiaconum induit tunica; ait: *Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat te Dominus.* Dum vero Diaconum Dalmatica induit, dicit: *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento letitiae, et Dalmatica justitiae circumdet te semper.* Ad Clericum prima Tonsura initiatum, illi induendo superpelliceum, ait: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est; in justitia et sanctitate veritatis.* Ex quibus admonentur Clerici et altaris Ministri, simul et quaenam sint horum indumentorum symbolicae significationes; et quaenam sint orationes quas mutato pronomine recitare debeant, dum hujusmodi vestes induunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De initio Missae usque ad Symbolum.

Quaecumque in Missa praemittuntur Symbolo, olim Missam Cathecumenorum conficiebant, et sunt veluti praeparatio ad Missam Fidelium, ut olim dicebatur. Aliqui putant *Missae* nomen ductum esse a verbo haebraico *Missach*, quod est oblatio voluntaria : sed eruditorum vulgus hanc vocem e latino derivatam putant, idem enim valet ac missio, seu abeundi licentia, quia in nostra liturgia binae dimissiones erant, quarum altera Diaconus Catechumenos et poenitentes post Evangelium et concionem; altera caeteros omnes, Missa peracta, demittebat illis verbis, *Ite Missa est*, quae secunda dimissio etiamnum remanet.

1. Sacerdos stans ante Altaris gradus, in plano Sanctuarii, Missam incipit signo crucis, unde, ex Apostolica traditione cujus testis est Tertullianus, lib. de Corona militis, omnium suarum actionum Christiani sumunt initium. Postea dicit Antiphonam *Introibo*, qua nihil praesenti actioni accommodatius; tum Psalm. 42. *Judica me Deus*, quem David Rex cecinit cum, Patria absens ut Saulis iram vitaret, seipsum solabatur spe Hierosolymam tandem redeundi, quo sibi liceret ad Altare accedere, et sacrificia offerre. Psalmi hujus suum quisque versum alternis recitant Sacerdos et Minister vices populi gerens; communem enim

oportet esse utriusque ad Altare accedentis fiduciam et gaudium in sacrificii oblatione. Concluditur Psalmus per *Gloria Patri* quem glorificationis hymnum appellaverunt veteres Patres; illum Fideles in ipsis Ecclesiae primordiis, sacro abluti Baptismate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, in honorem trium Divinarum personarum canere coeperunt; huic additum est a Conc. Niceno, ut probabilius est, *Sicut erat* etc. Ad Arianorum haeresim retundendam. Hic Psalmus omittitur in Missis defunctorum, et passionis tempore, quia psalmus est laetitiae, ut constat ex illis verbis, *Quare tristis es anima mea?* Nullus autem in praedictis Missis laetitiae locus.

2. Dicto *Gloria Patri*, Sacerdos ex Psal. 123. dicit: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, cui respondet Minister, *Qui fecit coelum et terram.* Deinde Sacerdos et Minister dicunt *Confiteor*, et orationem *Misereatur etc.* quia Sacerdos et populus, pro quo Minister loquitur, mutua ejusmodi confessione et oratione assecuturos sese confidunt levium peccatorum remissionem, quo puriori mente Deo sacrificium offerant. Trina percussio pectoris ad haec verba *mea culpa etc.* contritionem cordis significat, ab exemplo ducta Publicani in Evangelio Lucae 18.

3. Stans adhuc infra gradus Altaris Sacerdos, quasdam preces ex sacris Paginis depromptas *Deus tu conversus etc.* Ministro itidem respondent, recitat, quibus peccatorum a Deo ve-

niam petit, eamque mentis postulat puritatem, qua opus est sacrificio Missae sancte celebrando. Has preces concludit ista salutatione quae per totam Missam septies dicitur, *Dominus vobiscum*: educta est ex lib. Ruth cap. 11. Huic Minister respondet *Et cum spiritu tuo*, quae verba ex S. Pauli ad Galat. cap. 6. v. 18. desumpta videntur. Mutua ista salutatio signum est mutuae communionis et pacis, qua Fideles invicem in fide et caritate Christi conjunguntur. Observa ex septem vicibus, quibus in Missa dicitur *Dominus vobiscum*, ter Sacerdotem ad populum non se convertere: Primo post *Confiteor*, utpote qui totus sit in anima sua expianda: Secundo ante Evangelium, quia verbo Dei annuntiando intentus est: Tertio ad praefationem, cum sublatum ad Deum animum proximoque sacrificio defixum habeat, ut animadvertit Gavantus.

4. Deinde Sacerdos, postquam adstantes ad preces Deo fundendas excitavit, dicens *Oremus*, gradus Altaris conscendens, recitat orationes *Aufer a nobis*, et *Oramus te*, *Domine*, *per merita Sanctorum*, etc. ac tum primum osculatur Altare, quod aliquoties fit in Missae cursu. Altare, autem typus est Christi, eoque osculo adhaerere se Christo profitetur, cui sicut membra capiti, connexi sunt sancti quorum reliquiae ibi asservantur: neque enim Missam celebrare fas est in Altari, quod vel sacratum non fuerit, vel petra sacra non sit instructum. Altaris autem, et petrae consecratio

postulat, ut in iis condantur reliquiae Sanctorum.

5. Sacerdos osculato Altari, ad cujus sinistram partem se confert, quae *cornu Epistolae* dicitur, legit *Introitum*, qui constat ex antiphona, Psalmo, et Gloria Patri. Introitus dicitur, seu quod Missae principium est, seu quia a choro canebatur, cum Sacerdos ad Altare accederet: hujus auctorem fuisse S. Gregorium communis est opinio. Cum autem plerumque ex verbis veteris Testamenti depromatur, docet Ivo Carnotensis cum quibusdam aliis; per eum nobis in memoriam revocari clamores et desideria veterum Patrum Messiae adventum expectantium.

6. Lecto Introitu, Sacerdos venit ad medium Altare, et dicit, alternis cum Ministro vicibus, ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et rursus ter, *Kyrie eleison*. Graeca sunt haec verba quae significant, *Domine*, vel *Christe miserere*, qua precatione nihil ad ea quae nobis opus sunt accomodatius, ut ea fugiamus pericula quae semper nostrae imminent animae, ni Deus nostri misereatur. Novies repetitur tum ad designandum vehementem postulantium affectum, tum quia, ut ait S. Thomas, trina sit supplicatio Personae Patris, trina Personae Filii, et trina Personae Spiritus Sancti; contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae et poenae: vel ad significandum quod omnes Personae sunt in se invicem.

7. Postulationem Misericordiae Divinae ex-

cipit Hymnus *Gloria in excelsis Deo*, quem graeci Doxologiam vocant: illius principium ortum est ab Angelis qui Christo-Jesu nato illud cecinerunt, Lucae 2. caetera quis addiderit incertum. Ab oriente in Occidentem transiit, nec continuo in Missam illatus. Septimo seculo in Missa tantum Nativitatis Domini cani consueverat, deinde vero ad alias quoque Missas propagatus fuit; ita tamen, ut ab Episcopo tantum die Dominica et solemnibus festis recitaretur, a Presbyteris vero nonnisi die Paschatis; quod evincitur ex Lib. Sacramentorum S. Gregorii. Ab undecimo seculo Hymnus ille in omnibus dicitur Missis, exceptis illis quae celebrantur pro Defunctis, et iis quae in Feriis infra annum, extra tamen tempus Paschale, et in Dominicis a septuagesima ad sacrum diem Paschae; quia tempus illud, tempus est luctus et poenitentiae, in quo non decet Hymus laetitiae et exultationis.

8. Post Hymnum *Gloria in excelsis*, si ex Rubrica dicendus sit, Sacerdos salutat populum per haec verba *Dominus vobiscum*, Episcopus vero per ista *Pax vobis*, quibus verbis Christus Dominus post Resurrectionem suam discipulos salutavit. Episcopus enim Christi figura est: in diebus tamen poenitentiae dicit *Dominus vobiscum*, ut reliqui Sacerdotes. Tum Sacerdos adstantes excitat ut Deum deprecentur dicens *Oremus*, et recitat Orationes quae vocantur *collectae*. Collecta eo donatur nomine, vel quia Sacerdos, qui veluti mediator

est Deum inter et homines, vota omnium colligit; vel quia brevis est Oratio quam recitat supra populum congregatum; vel quia omnes, collectis in se animis, cogitatione et affectus suos ad Deum elevant. Sacerdos interim, sicut in caeteris orationibus, elevatas ad humeros manus tenet, qui quidem orandi modus in veteri ac novo Testamento commendatur; in veteri David cecinit, *In nomine tuo levabo manus meas. Expandi manus meas ad te.* In novo S. Paulus 1. ad Thimoth. 2. *Volo* inquit, *viros orare in omni loco levantes puras manus.*

9. Oratio seu Collecta ut plurimum ad Patrem dirigitur, et desinit in haec verba, *Per Dominum nostrum Jesum-Christum;* tum quia Dominus Jesus ad illum modum orare nos docuit, Joan. 6. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo;* tum quia *nullum aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Actuum 4. tum denique quod *per eum habemus accessum ad Patrem.* Rom. 5. Ex quibus intelligitur hanc clausulam ab Apostolis esse derivatam, qui eam a Christo Domino acceperunt. Quaedam tamen Collectae diriguntur ad filium cum clausula, *Qui vivis et regnas*, ne fortasse, inquit Bellarminus, alicui in mentem caderet, non aliam quam Personam Patris posse disertis verbis invocari. Post Collectam Minister, populi nomine, respondet *Amen*. Haec vox hebraica est, et interdum est affirmantis, cum post fidei dogma adhibetur; quandoque est desiderantis, si post

aliquam orationem adhibeatur, qua opem a Deo efflagitamus: aliquando etiam est assentientis, si Sacerdotis oratio rem aliquam respiciat, quam nostrum sit exequi et perficere.

10. Dicta oratione seu Collecta legitur Epistola: eo nomine donatur, etsi interdum ex aliis quoque veteris novique Testamenti libris desumatur, plerumque tamen ex Epistolis S. Pauli depromitur. Statui posse videtur hanc Lectionem in Missa ab Apostolis esse introductam, ut colligitur ex luculento S. Pauli textu Epist. ad Colos. c. 4. *Cum lecta fuerit apud vos Epistola haec facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicensium est, vos legatis;* nullos enim alios conventus Christianorum novimus quam qui ad sacram Synaxim agebantur. Ideo Epistola magna cum attentione et reverentia legenda est, tanquam sermones Dei per Prophetas et Apostolos nos edocentis; promptusque despondendus animus ad servanda ipsius mandata; de his admonent nos manus, in lectione Epistolae, supra librum positae, et veluti operi admotae. In fine respondet Minister *Deo gratias*, quam vocem vetustissimam esse et maxime commendandam patet ex S. Augustino qui exprobrat Donatistis quod illam Catholicorum vocem irriderent.

11. Antiphona quae post Epistolam dicitur, *Graduale* appellatur, a gradibus; vel quia juxta quosdam in Altaris gradibus canebatur, vel quod cani consueverit, dum Diaconus gra-

dus suggestus seu Ambonis ascenderet. addunt morem illum fuisse introductum, ne tempus, quo Diaconus recedens ab altari, in ambonem conscendit, sine cantu laberetur. Antiphona illa exequendi desiderium significat, et ascensum ad apicem christianae perfectionis, qui sunt fructus Prophetarum et Apostolorum praedicationis.

12. *Alleluja* dicitur post Graduale; Hebraica vox est, et significat *Laudate Dominum*. Hujus vocis auctorem fuisse David Regem colligitur e Psalmis, quorum multi hoc titulo inscribuntur; ea vox est etiam Tobiae cap. 13. In nova Lege narrat Sanctus Joannes Apoc. 19. se audivisse Choros Angelorum in coelo canentium *Alleluja*; unde licet conjicere pulcherrimum illud canticum è coelis in Ecclesiam fuisse deductum.

13. Quidam e Scriptura versiculi qui post Graduale, diebus luctus et poenitentiae, loco *Alleluja* recitantur, vocantur *Tractus*, cujus etimologia vocis est a trahendo, eo quod tractim et cum prolixitate verborum canatur. Denique *Sequentia* Rythmus est, qui et jubilatio appellatur, atque etiam *Prosa*, quod in ea nulla carminis lex aut mensura servetur; sequentiae autem illi nomen inditum, quia Graduale consequitur.

14. Lecta Epistola et iis quae eam consequntur, Sacerdos ad medium Altare redit, ubi, ut Evangelio legendo sese paret, recitat Orationem *Munda cor meum*, qua Deum deprecatur, ut

cor et labia sibi purificet, quo digne sanctum annuntiare possit Evangelium, quemadmodum (ministerio Seraphim. Isai. 6.) labia Isaiae calculo mundavit ignito. Dum a Deo benedictionem petens dicit *Jube, Domine, benedicere*: Diaconus vero, qui eam postulat a Sacerdote, dicere debet *Jube Domne*, cujus rei apertissima ratio est; non vox *Dominus* proprie Deo tantum convenit, *Domnus* verò quae trunca et diminuta vox est, tribuitur hominibus: illud autem discrimen est inter benedictionem quae a Deo, et illam quae ab homine petitur, quod a Deo gratias, quibus nobis opus est postulemus; ab homine autem petamus, Deum ut pro nobis oret, qui super nos benedictionem suam effundat.

15. Post eas Orationes, Sacerdos ad dexteram Altaris partem se confert, et ibi legit Evangelium sive privatam celebret Missam sive solemnem. Illud in Ecclesiae primordiis legi coeptum esse patet ex Sancto Clemente Papa apud Eusebium, Hist. Eccles. L. 2. c. 15. ubi narrat S. Marcum, Romanis flagitantibus, suum scripsisse Evangelium; quod cum S. Petrus cognovisset, Librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur. Sacerdos, dum incipit Evangelium, signo crucis librum signat, quasi dicat, ait Gavantus post Innocent. III. hic Crucifixi liber est; seipsum vero signat in fronte, ore, et pectore; in fronte quidem, juxta id quod ait S. Augustinus in Psal. 141. *Usque adeo*

de cruce non erubesco, ut non in occulto habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Tum in ore et pectore juxta illud Apostoli ad Rom. c. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* In fine osculatur principium Evangelii submissa voce dicens: *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta;* ad significandum amorem quo ea doctrina amplexanda est et executioni mandanda. Illud tamen non osculatur in Missis Defunctorum; neque cum celebrat coram Cardinali, vel Episcopo in locis ubi Jurisdictionem habent, quibus, Evangelium ut osculentur, ipsum Missale defertur. Demum Sacerdoti dicenti *Initium*, sive *Sequentia sancti Evangelii*, Respondet Minister *Gloria tibi, Domine;* et ad finem Evangelii idem dicit: *Laus tibi Christe*, in gratiarum actionem pro beneficio tantae et tam salutaris doctrinae. Populus vero stat, cum Evangelium legitur, ut significet paratum se esse ad ea Domini perficienda mandata, quae in Evangelio leguntur.

16. Diximus, lecto Evangelio, Cathecumenorum Missam esse peractam; ad cujus rei intelligentiam sciendum, pubblicos poenitentes olim in quatuor classes distribui. Alii *Flentes*, alii *Audientes*, alii *Prostrati*, alii *Consistentes* dicebantur. Flentes stabant extra templi januam, ubi sua peccata deflebant. Audientes et Prostrati in ea templi parte quae Narthex appellabatur, ubi etiam Catechumeni morabantur cum Energumenis: hi omnes, ut patet ex

Conc. Arausic. I. dicto Evangelio et Sermone habito, Diacono ad eos proclamante ut abscederent, extra templum dimittebantur. Quarta Poenitentium classis, scilicet Consistentes, una cum coeteris Fidelibus, Missae integrae aderant, non tamen Eucharistiae participes erant. Huic priori Missae, licet Poenitentes, seu *Audientes et Prostrati*, adessent, Catechumenorum tamen nomen attributum est, eo quod major eorum esset numerus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Symbolo usque ad Canonem.

Missa quae olim Fidelium, seu Missa Sacramentorum dicebatur, incipit a Symbolo et in tres partes dividitur. Prima complectitur quae praecedunt Canonem. Secunda quae sunt Canonis. Tertia quae Canonem sequuntur. De prima parte in praesenti articulo dicturi sumus.

1. Itaque Symbolum signum est quoddam seu tessera, qua Fideles ab infidelibus secernuntur, ducta similitudine ex militari signo, quo milites a transfugis distinguebantur. Quatuor sunt Symbola: Primum, *Apostolicum*, quod Apostoli condidere; istud non fuit litteris commendatum, sed voce traditum Fidelibus, atque ita ore ad os translatum. Secundum, Nicaenum est, in Concilio Nicaeno I. compositum ad profligandam Arii impietatem. Tertium, *Constantinopolitanum* in Concilio

Constantinopolitano I. editum ad confutandam Macedonii haeresim. Quartum, *Athanasianum* est, quod sub S. Athanasii nomine circumfertur: ubi observandum, quatuor illa Symbola non sic accipienda, quasi Ecclesia, *columna et firmamentum veritatis*, in fide variaverit; sed quod illam unam et semper eamdem fidem a Christo semel per Apostolos acceptam, et immobilem retentam, pro data novarum haereseon occasione, uberius explicet et evolvat; ita ut si ea Symbola conferamus, nullum inter ea discrimen appareat, sed Nicaenum et Constantinopolitanum Concilium expressius enucleasse deprehendatur, quae in Symbolo Apostolico ab Arianis et Macedonianis oppugnabantur.

2. Symbolum Constantinopolitanum illud est quod in Missa recitatur, eo quod in illo juxta Cardinalem Bona Ortodoxae Fidei articuli disertius et luculentius explicentur, et exortae usque ad ea tempora haereses profligentur. Ecclesiae orientis multo ante quam occidentalis Ecclesia illud in Missa recitare coeperunt. Jam in Hispania et in Gallia Narbonensi ritus ille seculo sexto invaluerat, ut colligitur ex can. 2. Conc. III. Toletani an. 589. habiti: in Germania vero ante annum 804 ut claret ex collatione quam sub Carolo Magno Leo III. Pontifex, cum quibusdam Episcopis habuit, quaeque a Baronio ad illum annum refertur. Nonnulli sunt quibus videtur Ecclesiam Romanam non ante 11 seculum coepisse Symbolum in

Missa recitare, istudque colligunt ex testimonio Bernonis Abbatis, qui narrat Romanos ab Imperatore Henrico interrogatos, ipso Bernone assistente, cur Symbolum non canerent, respondisse, id ita fieri quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta, sed secundum S. Petri doctrinam, in soliditate Catholicae fidei permansisset inconcussa; sed Imperatorem non antea desiisse, quam omnium consensu id Dom. Benedicto Apostolico persuaserit, ut ad publicam Missam illud decantarent: verum, ut recte annotat Martene, non negat Berno Romae Symbolum recitari consuevisse, sed cantari; unde dicendum Imperatorem a Pontifice illud impetrasse, non ut recitaretur, sed ut, quemadmodum in aliis Ecclesiis, caneretur. Multa enim Mabilonius, Pater Le Brun, et ipse Martene congerunt argumenta quibus evincitur, jam ante 9. sec. Symbolum illud in Ecclesia Romana recitari consuevisse.

3. Quod attinet ad actiones Sacerdotis cum dicit *Credo*, Rubricae haec praescribunt: Dicto Evangelio stans in medio Altaris versus crucem elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo*. Cum dicit, *in unum Deum*, jungit manus et caput Cruci inclinat; quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius prosequitur usque ad finem. Cum dicit, *Jesum Christum*, caput Cruci inclinat. Cum dicit, *Et incarnatus est* inclusive, genuflectit. Cum

dicit, *simul adoratur*, caput Cruci inclinat. Cum dicit, *Et vitam venturi seculi*, producit sibi manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus. Ex his quae Sacerdos ex Rubrica facere jubetur, notanda est genuflexio ad ea verba, *Et incarnatus est*, usque ad illa inclusive, *Et homo factus est*, quae quidem genuflexio religiose instituta est in repraesentationem, ac venerationem illius eximiae humilitatis, qua humiliavit, *et exinanivit seipsum* Filius Dei, *formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo*. Rationem affert S. Thomas cur in Missa post Evangelium dicatur Symbolum, et quamobrem in quibusdam Missis dicatur, in quibusdam vero omittatur. *Lecto* inquit, *Evangelio Symbolum cantatur. In quo populus ostendit, se per fidem doctrinae Christi assentiri. Cantatur autem hoc Symbolum in festis, de quibus fit aliqua mentio in Symbolo sicut in festis Christi, B. Virginis et Apostolorum, qui hanc fidem fundaverunt, et aliis hujusmodi.*

4. Dicto Symbolo, si juxta Rubricam recitandum sit, Sacerdos osculatur Altare, salutat populum, dicens *Dominus vobiscum*, et excitato populo ad orandum verbo illo *Oremus*, dicit *Offertorium*, quod quidem ex eo nomen traxisse videtur, quia cani consueverat dum Fideles, ex veteri consuetudine, panem et vinum in sacrificii usum offerebant. Offertorii nomine ea omnia continentur, quae fiunt a Sacerdote et Ministris, quaeque recitantur ab

illis verbis *Dominus vobiscum*, usque ad clausulam Secretae orationis, cum Sacerdos elata voce dicit: *Per omnia secula seculorum.* Quia nempe, praevia quadam oblatione Deo dicat et devovet materiam panis et vini in corpus et sanguinem Christi convertendam. Illa igitur oblatio dumtaxat praeparatoria est, neque enim in Missa fit sacrificium panis et vini, sed corporis et sanguinis Domini. Dum autem illam perficis oblationem, offer etiam Deo cor tuum et omnium Fidelium, ut sicut panis et vinum mox convertenda sunt in corpus et sanguinem Christi; ita cor tuum et omnium fidelium in ipsum Christum per amorem et imitationem transformentur; adeo ut dicere omnes possint, *vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus.*

5. Ut singula prosequamur, dicto Offertorio, Sacerdos Calicem detegit, Patenam capit cum Hostia, et utrisque manibus sublatam usque ad pectus sustinens, elevatis ad coelum oculis et statim demissis, dicit orationem: *Suscipe, sancte Pater.* In ea oratione aeternum Patrem quem Deum vivum et verum appellat, ut est apud Danielem c. 14 orat, ut immaculatam Hostiam suscipiat pro suis innumerabilibus peccatis, offensionibus et negligentiis; non se solum, sed quotquot adstant, et Fideles omnes vivos mortuosque Deo commendans, ut salutem aeternam consequantur, juxta praeceptum S. Pauli qui ad Hebr. c. 7. Sacerdotes, ait, debere *prius pro suis dilectis Hostias offerre*,

deinde pro populo. In hac oratione Hostiam etsi nondum consecratam vocat immaculatam, quod quidem nemo miretur; neque enim ea verba ad panem referenda sunt, sed ad corpus Christi, in quod panis hic, vi futurae consecrationis, remanentibus speciebus, quam primum est convertendus. In fine orationis Sacerdos faciens Crucem cum Patena deponit Hostiam super corporale, et ad dexteram collocat Patenam, ita ut ejusdem quaedam pars sub corporali tecta sit. Illud autem signum Crucis juxta quosdam significat Hostiam super Crucem poni, ubi Christus Jesus aeterno Patri ipse se obtulit, ut nos a peccatis redimeret.

6. Pergit Sacerdos, et in cornu Epistolae Calicem apprehendit, Purificatorio extergit, et sinistra illius nodum tenens, accepta de Ministri manu ampulla vini, ingerit vinum in Calicem; deinde eodem modo tenens Calicem producit signum Crucis super ampullam aquae, dicens orationem: *Deus qui humanae substantiae*, et infundens paululum aquae in Calicem prosequitur: *Da nobis per hujus aquae et vini mysterium*. Quod si celebret pro defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed infundens illam absque benedictione dicit orationem ut supra. Quodnam sit mysterium quod in ea vini et aquae commixtione continetur explicuat S. Cyprianus epist. ad Caecil. *Videmus*, inquit, *in aqua populum intelligi*, *in vino ostendi sanguinem Christi*: *quando autem in Calice aqua vino miscetur*, *Christo popu-*

lus adunatur, et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et conjungitur. Inde infert Gavantus nullam fieri aquae benedictionem in Missis Defunctorum, quia aqua in his significat populum Purgatorii, qui jam est in gratia. Quidam per eam aquae et vini commixtionem putant Incarnationis ostendi mysterium, in quo humana natura cum Divina hypostatice juncta est; quam explicationem tueri videntur haec orationis verba ex 2. S. Pet. Epist. c. 1. desumpta: *Ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps J. C.* Alii demum per eam commixtionem putant intelligi aquam et sanguinem, quae defluxerunt a latere Christi; et sane Sacerdos juxta Ritum Ambrosianum, et Carthusiani cum aquam in Calicem infundunt, dicunt: *De latere Christi exivit sanguis et aqua. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

7. Sacerdos calicem dextera apprehendit manu, eumque sublatum utraque manu tenens ad altitudinem oculorum, videlicet sinistra pedem, dextera autem nodum infra cuppam, stans in medio Altari, elevatis in coelum oculis, eam dicit orationem, *Offerimus tibi, Domine, etc.* qua dicta, facit signum Crucis cum calice super corporale, et ipsum in medio ita post Hostia media sit inter Sacerdotem et calicem, quem Palla tegit. Observat Card. Bona, in praedicta oratione, Sacerdotem dicere *offerimus* non vero *offero*, sicut in oblatione Hostiae, eo quod juxta Romanum ritum in Missa so-

lemni Sacerdos simul cum Diacono hanc orationem recitat, qui quidem ritus in Missa privata retentus est. Animadvertit Bellarminus Sacerdotem in praedicta oratione non dicere *Calicem salutarem*; sed *Calicem salutaris*, id est Calicem Christi Salvatoris, qui instituit, ut calix ille offerretur et consecraretur; et addit, quod etiamsi diceretur, *Calicem salutarem*, tamen vera esset eorum verborum sententia, quae referenda essent non ad praesentem calicis statum; sed ad eum quo redigendus est per consecrationem.

8. Facta oblatione calicis, Sacerdos junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus, submissa voce ait: *In spiritu humilitatis, etc.* quae quidem verba desumuntur ex longiori trium Puerorum oratione qui Babylone in fornacem conjecti sunt, *Daniel c. 5.* Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus ait: *Veni sanctificator, etc.* et cum dicit *Benedic*, dextera manu super Hostiam et Calicem simul signum Crucis producit. Circa postremam hanc orationem observandum, quod quamvis propter haec verba, *Omnipotens aeterne Deus*, directa illa videatur ad Patrem, seu indiscriminatim ad tres Personas, quae sunt unus Deus, revera tamen illam ad Spiritum Sanctum dirigi. Istud indicant veteres liturgiae Ecclesiae Graecae et Latinae: in iis enim petitur, ut ignis Spiritus Sancti delabatur, absumatque panem et vinum, et in Corpus ac sanguinem Christi

convertat. Id etiam aperte significat verbum *Veni*; nam juxta Sacrarum Scripturarum idiotismum, duas tantum Personas, Filium, et Spiritum Sanctum invitat Ecclesia, ut dilabantur e coelo; cum vero sermonem dirigit ad Patrem non dicit *Veni*, sed, *Mitte nobis Redemptorem*, vel *Mitte Spiritum tuum*. Quamobrem cum oratio, *Veni sanctificator*, non possit intelligi de Filio, pro quo fit deprecatio; sequitur illam de Spiritu Sancto esse intelligendam.

9. Dicta oratione, *Veni sanctificator*, Sacerdos a medio Altari se confert ad cornu Epistolae, et Ministro aquam fundente, lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psal. *Lavabo inter innocentes*. cum *Gloria Patri*; qui tamen versus in Missis Defunctorum, et a Dominica Passionis usque ad Sabatum sanctum omittitur. Binas hujus ablutionis rationes affert S. Thomas, primam quidem naturalem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis; unde indecens videtur, quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus inquinatis; secunda moralis est, quia extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, et talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad tantum sacramentum. Psalmu. *Lavabo* huic actioni aptissimè convenit. Quamvis in eo Sacerdos ex intima animi sui conscientia suam innocentiam declaret his verbis *Ego autem in innocentia mea etc.* quod nonnullis visum est absonum a christiana humili-

tate; attamen eodem tempore contestatur sibi opus esse Redemptoris ope et misericordia; addit enim; *Redime me et miserere mei*, nec timore peccandi caret nisi Deus praesto sit: *Ne perdas cum impiis, etc.* quibus sensibus laudata virtus continetur.

10. Sacerdos extergit manus, iisque ante pectus junctis ad medium altare redit; ubi, elevatis ad Deum oculis, statimque demissis, paululum se inclinans dicit orationem, *Suscipe, sancta Trinitas.* Manus junctae et corporis inclinationes de quibus hic et alibi fit mentio, humilitatem Sacerdotis exprimunt, et Christi humilitatem significant juxta doctrinam S. Thomae. Supradictae orationis substantia in graecis liturgiis et in Missali Ambrosiano reperitur: in ea mentio fit de Passione, Resurrectione et Ascensione Domini nostri Jesu Christi, idque ut totum exprimatur Christi sacrificium. Victima enim hujus Sacrificii in Incarnatione primum electa et sanctificata, et in Cruce mactata; in Resurrectione demum ac in Ascensione consummata fuit et in odorem suavitatis accepta, quando absorptum fuit in Christo *quod mortale erat a vita*, ut ait Apostolus, et victima a Deo accepta est in odorem suavitatis, et ad ejus dexteram fuit collocata. Quatuor primis Ecclesiae seculis Fideles veriti ne quam reprobabant deorum multitudinem sibi exprobrarent ii qui trium Personarum mysterium ignorabant, a sanctissima Trinitate nominanda abstinebant, et omnes orationes ad Deum Pa-

trem dirigebant: at vero sublato illo metu, nihil verita est Ecclesia tum Latina, tum Graeca, in offerendo Sacrificio dicere: *Suscipe Sancta Trinitas.* In eadem Oratione Sacerdos sanctissimam Trinitatem deprecatur, oblationem ut accipiat in honorem B. Mariae Virginis, S. Joannis Baptistae, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum quorum Reliquiae conduntur in Altari, et omnium aliorum Sanctorum, *ut illis proficiat ad honorem, nobis ad salutem;* quidquid enim honoris et gloriae adepti sunt sancti, id omne vi sacrificii Christi sunt consecuti, et Christi honor et gloria diffunditur in Sanctos, qui sunt viventia membra cum eo, veluti cum capite, conjuncta.

11. Post orationem, *Suscipe sancta Trinitas*, Sacerdos osculatur altare, et ad populum conversus dicit *Orate*, *Fratres*, et submissa voce prosequitur, *ut meum ac vestrum Sacrificium, etc.* Non absimili Oratione respondet Minister Deum deprecans, ut sacrificium suscipiat ad laudem et honorem nominis sui, et ad nostram et Ecclesiae universae utilitatem. Deinde Sacerdos in gyrum vertitur ad eam partem ubi est Missale, ita ut circulum describat et in medio Altari remaneat, ac submissa voce dicit, *Amen*; subinde sine *Oremus*, Orationes prosequitur, quae dicuntur Secretae. Ideo ex Minutio Felice Sacerdos dicit, *Orate, fratres*, quia Christiani olim invicem se fratres appellare consueverant, utpote qui unum Deum

parentem haberent, essentque ejusdem Fidei consortes, et spei cohaeredes. Praefatae Orationes vocantur *Secretae*, eo quod submissa voce a Sacerdote recitandae sint, ita ut Sacerdos ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

12. Sacerdos ubi ad postremae orationis secretae finem pervenit, vocem attollens dicit: *Per omnia secula seculorum*, quae clausula ad orationes pertinet, quae jam recitatae sunt, et ideo elata voce profertur, ut populus respondeat: *Amen*, et orationes a Sacerdote recitatas confirmet. Sequitur deinde Praefatio, ipsa est oratio, seu gratiarum actio, quae Canoni quasi proloquium quoddam praemittitur, et qua disponitur Sacerdos et Populus ad tremendorum mysteriorum confectionem: unde Sacerdos post salutationem ad populum, in qua tamen ad eum non se convertit, incipit per haec verba *Sursum corda*, ut dum respondet plebs per Ministrum, *Habemus ad Dominum*; admoneatur nihil aliquid se quam Dominum cogitare debere: simili ratione prosequitur Sacerdos et dicit: *Gratias agamus Domino Deo nostro*, et respondet Minister: *Dignum et justum est*. Tum facultatem a Deo Sacerdos petit in Angelorum choros ingeri, humili supplicatione dicens: *Cum quibus et nostras voces*, *etc.* Demum Praefatio in illum desinit hymnum quem Graeci triumphalem, nos Angelicum appellamus, *Sanctus*, *Sanctus*, *etc.*, qui desumptus est ex Isaiae c. 6. et concluditur per haec

verba: *Benedictus qui venit*, quae turbae cecinerunt cum Christus Jesus ante Passionem suam solemniter ingressus est Hierosolymam, ut habetur Matth. c. 21. cum Sacerdos ad illa verba pervenit *Sanctus*, *Sanctus*, *etc.* junctis ante pectus manibus et inclinatus reliqua verba voce non ita elata prosequitur; interea Minister campanulam pulsat ad excitandos adstantium animos ad devotionem; et cum dicit Sacerdos: *Benedictus qui venit*, se erigit, sibique a fronte ad pectus signum Crucis producit.

ARTICULUS QUARTUS.

De Canone usque ad Consecrationem.

1. Canon idem valet ac regula: ea utitur voce Ecclesia, ut significet Canonem Missae firmam esse regulam, juxta quam novi Testamenti sacrificium est celebrandum; vocatur etiam Actio per excellentiam, quod in eo Sacramenta Domini conficiantur: quamobrem in Canone ad orationem *Communicantes* appositus est titulus *infra* seu *intra Actionem.* De Canone sic loquitur Conc. Trid. sess. 22. c. 4. « Cum sancta sancte administrari conve-
» niat, sitque hoc omnium sanctissimum sa-
» crificium, Ecclesia Catholica, ut digne re-
» verenterque offerretur, ac perciperetur, sa-
» crum Canonem multis ante seculis instituit
» ita ab omni errore purum, ut nihil in eo
» contineatur, quod non maxime sanctitatem

» et pietatem quamdam redoleat, mentesque » offerentium in Deum erigat. Is enim con» stat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex » Apostolorum Traditionibus, ac Sanctorum » quoque Pontificum piis institutionibus. »

2. Circa Canonem haec in antecessum observare juvat. 1. Praescribit Rubrica omnium seculorum monumentis confirmata, ut secreto recitetur; imo Conc. Trid. ejusdem sess. can. 9. sic decernit; *si quis dixerit Ecclesiae Romanae Ritum, quo submissa voce Canonis, et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.* Respicit S. Synodus ad Eucharistici sublimitatem Mysterii, et ad majorem venerationem, quae ex secreto paritur erga res divinas, quaeque silentio excitatur et alitur; tum etiam ad Spiritus Sancti operationem, quae, panem et vinum convertens in Corpus et Sanguinem Christi, non cadit sub sensus. Aliam rationem affert S. Thomas 3. part. quaest. 83 art. 4. ubi ait, Sacerdotem ea clara voce dicere, quae ad se solum pertinet, cujusmodi est Oblatio et Consecratio. 2. Sacerdos multa Crucis signa ducit super hostiam et Calicem: circa quae observat Bossuetius, Benedictiones quae fiunt super panem et vinum ante Consecrationem suos effectus habere, tum erga ipsum Sacramentum consecrandum, tum erga homines per Sacramentum sanctificandos; Benedictiones vero, quae fiunt super panem et vinum jam consecratum, non ad Corpus Divinum, sed ad eos referri, qui

illud sumpturi sunt, ut illud digne suscipiant; aut si Corpus Christi respiciant, ita ad illud referri, ut Benedictiones exprimant et gratias quibus abundat, quasque large cupit in nos effundere, nisi peccatis nostris praepediatur. Aliam hujusmodi signorum significationem profert S. Thomas quaest. supra cit. Sacerdos, inquit, post Consacrationem non utitur Crucis signatione ad benedicendum et consecrandum; sed solum ad commemorandum virtutem Crucis, et modum Passionis Christi. Nempe nihil Ecclesia praetermittit, quo in animis imprimat Sacerdotum et adstantium, idem esse Sacrificium Altaris cum sacrificio Crucis; vult igitur omne verbum quod exprimit Corpus et Sanguinem Domini, cum signo Crucis proferri, ut declaretur Hostiam, et liquorem in Calice contentum, idem esse Corpus quod Cruci fuit affixum, et ipsum Sanguinem qui in Cruce effusus est. Nunc singulas Canonis orationes prosequamur.

3. Finita Praefatione ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris, aliquantulum elevat manus, oculisque etiam ad Deum elevatis, et sine mora demissis, ac manibus junctis, et super altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem secreto dicens: *Te igitur clementissime Pater.* Haec prima Canonis Oratio pergit usque ad eam, *Hanc igitur oblationem*; nam *Memento*, *Domine*, *et Communicantes* non sunt diversae Orationes, sed pars primae, ut deducitur ex clausula: *Per eumdem Domi-*

num, quae apponitur ad finem omnium Orationum. In hac Oratione Deo Patri preces diriguntur pro Ecclesia Sancta Catholica, pro summo Pontifice, pro Episcopo Dioecesis in qua Missa celebratur, pro Rege, et pro omnibus fidelibus. Sacerdos cum dicit, *uti accepta habeas et benedicas*, prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, jungit manus ante pectus, et dextera manu ter signum Crucis ducit communiter super Hostiam et Calicem, cum dicit: *Haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata.* De osculo Altaris, et signis Crucis supra jam diximus. Tria autem Crucis signa fiunt, ut significetur maximum hoc mysterium a sanctissima perfici Trinitate. Verba ista, *haec sancta sacrificia illibata* sic explicat Innocen. III. dicuntur illibata, id est immaculata, quae sine macula cordis et corporis oportet offerri.

4. Postquam oravit Sacerdos pro Ecclesia sancta Catholica, pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, ac pro omnibus Catholicis, pro iis pergit orare, quibus sacrificii fructum applicare intendit, quorum tamen nomina voce non pronuntiat, sed eas personas praesentes animo habet, *Memento, Domine, famulorum, etc.* ac pro iis itidem orat qui sacrificio intersunt, *et omnium circumstantium.* Notanda sunt haec verba, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*: quae quidem non ita sunt intelligenda quasi laici consecrare possint; sed eo sensu quod quamquam Sacerdotis dumtaxat sit cele-

brare, tum quia virtute Christi solus Sacramentum perficit, tum quia solus ex persona Christi consecrationis verba pronuntiat, tamen Laici hoc etiam sensu sunt offerentes, tum quod per ministerium Sacerdotum offerant, tum quod suam cum Sacerdotum intentione conjungant, tum quod externum aliquid conferant, Missae ministrando, necessaria ad Sacrificium suppeditando, vel eleemosynam largiendo.

5. Verba illa: *communicantes et memoriam venerantes* quae, ut supra diximus, pars sunt primae Orationis conjunguntur que cum his vocibus: *supplices rogamus*. Significant unionem Sanctorum qui in coelo sunt, cum fidelibus qui degunt in terris, pro quibus preces fundit Ecclesia. Nempe novit pia Mater Deum ea propter Sanctos suos facere, quae propter nos facturum ne audet quidem sperare, unde ut eum sibi proprium faciat, Sanctorum virtutem, merita, et gloriam commemorat. Omnium prima, a qua opem petimus, est Beata Virgo Maria caeteris omnibus sanctior et gloriosior; deinde Sanctorum duodecim Apostolorum, qui Ecclesiae columnae sunt fit commemoratio: illis additur S. Paulus quem a B. Petro numquam Ecclesia Romana sejungit. Post duodecim Martyrum omniumque Sanctorum intercessionem implorat Ecclesia. Cum autem apprime sciat ne tantilli quidem momenti esse eorum suffragia nisi per merita et virtutem Christi, ideo Orationem istam, sicut et reliquas omnes, per hanc clausulam concludit: *Per Christum Dominum nostrum.*

6. Secunda Canonis Oratio illud habet initium, *Hanc igitur oblationem*, et in ea petitiones quatuor continentur; quarum prima est, ut Deus oblationem nostram proxime per consecrationem faciendam, quaeque in intentione praesens habetur, placatus accipiat; secunda, ut dies nostros in sua pace disponat; tertia, ut ab aeterna nos liberet damnatione; quarta denique, ut in electorum suorum grege nos jubeat numerari, seu ut nobis tribuat electorum ingredi viam, ut cum iis aeterna pace perfruamur. In pervigiliis Paschatis et Pentecostes, ac per totam Octavam, quaedam in hac Oratione adduntur, quae ad eos, qui in his diebus baptizantur pertinet. Nam juxta veterem disciplinam, in pervigiliis Paschatis, et Pentecostes, catechumeni Baptismo abluebantur; deinde vestibus albis amicti sacrificio Missae aderant, et sacram Eucharistiam suscipiebant. In hac Oratione Sacerdos extensas tenet manus super Hostiam et Calicem, donec ad illa verba pervenerit, *Per Christum, etc.* ubi manus jungit. Hic ritus fit ad imitationem moris, qui vigebat in veteri lege, in cujus sacrificiis super victimam manus imponebatur, quod indicium erat Sacerdotem conjungi cum victima et cum ea Deo consecrari. Eo igitur ritu Sacerdos sese, Populumque Christianum Deo offert cum Christo jamjam mystice immolando, ut ejus virtute sacrificii impetret a Deo remissionem peccatorum, vitae praesentis pacem, et aeternae gloriam.

7. Tertia Canonis Oratio ab illis incipit verbis, *Quam oblationem tu Deus*; quae Oratio ad finem usque consecrationis continuatur. In hac Oratione respiciens Ecclesia non solum oblationem panis et vini, eorumque proxime instantem Transubstantiationem in Corpus et Sanguinem Christi; sed etiam sui ipsius, et Sacerdotis celebrantis, adstantiumque oblationem, Deum orat, ut eam facere dignetur *benedictam*; hoc est, ut recte explicat Paschasius, « per quam benedicamur; *adscriptam*, » per quam nos omnes in coelo conscribamur; » *ratam*, per quam in visceribus Christi censeamur; *rationabilem*, per quam a bestiali » sensu exuamur; *acceptabilem facere dignetur*, quatenus et nos per quod in nobis displicimus, acceptabiles in ejus unico Filio » simus ». In eadem Oratione Deum orat Ecclesia, ut panis et vini transubstantiatio nobis fiat in Christi Corpus et Sanguinem, id est nobis fiat fructuosa. Quinque sunt crucis signa, quae in hac Oratione fiunt, dum ea pronuntiantur verba, *benedictam*, *adscriptam*, *etc.* His vero signis quidam putant Christum significari, qui secundum carnem passus est in quinque sensibus: ita S. Bonavent. in expositione Missae.

8. In progressu tertiae hujus orationis Sacerdos ea exponit, quae pridie mortis suae Christus Dominus fecit et dixit: nimirum accepisse panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad Deum Patrem

suum Omnipotentem, gratias illi egisse, panem benedixisse, fractum dedisse Discipulis suis, ac dixisse: *Accipite et manducate ex hoc omnes; Hoc, etc.* Similiter et Christum Jesum, post coenam, in sanctas suas manus Calice accepto, item gratias egisse Deo Patri, Calicem benedixisse, ac praebuisse Discipulis suis dicendo: *Accipite et bibite ex eo omnes; Hic est, etc.* Cum autem Sacerdos praedicta Christi verba vel recitative tantum seu historice tanquam a Christo dicta, et materialiter, ut aiunt, proferre possit; vel etiam significative et formaliter, ut loquuntur Theologi, ita ut intendat facere quod fecit Christus et verba exprimunt; graviter profecto erraret qui auderet affirmare ista consecrationis verba, *Hoc est enim corpus meum. Hic est enim Calix sanguinis mei*, a Sacerdote dici recitative tantum, et non significative, alias non loqueretur aut ageret ex persona Christi, quod certe communi sanctorum Patrum, Theologorum, ipsiusque Concil. Florentini doctrinae, in decreto unionis prorsus adversatur. Utrum vero verba illa non modo significative, ut diximus; sed etiam recitative proferantur, disputant inter se Theologi; communior est sententia affirmans, in quam propensior est S. Thomas 3. part. quaest. 78 art. 5. Observat idem S. Doctor vocem istam *Calix* per metonymiam poni pro liquore in eo contento; ita ut sensus sit; *Hic est sanguis meus in Calice contentus.*

*

Addit, dici Sanguinem Novi Testamenti, eo quod non per figuram, ut in veteri Testamento, sed revera effusus sit; docet pariter vocari sanguinem aeterni Testamenti tam ratione aeternae Dei praeordinationis, quam ratione aeternae haereditatis, quae per hoc Sacramentum disponitur. Demum vox illa *pro multis* idem significat ac pro omnibus juxta modum loquendi Scripturae sacrae, qui quidem patet ex vers. 18 et 19 cap. 5. Epist. ad Rom. inter se collatis.

9. Reliquum est ut actiones quasdam prosequamur, quas in hac tertia oratione peragit Sacerdos. Itaque manibus sumit Hostiam, cum dicit, *Accepit panem*, oculos ad coelum tollit, cum dicit *elevatis oculis*; Crucis ducit signum super Hostiam, cum dicit *benedixit*; manibus sumit Calicem, cum dicit *accipiens et hunc praeclarum Calicem*; caput inclinat, cum dicit *item tibi gratias agens*, signat signo crucis, cum dicit *benedixit*. Has autem actiones facile quivis intelligit verbis, quae interea proferuntur omnino respondere, ac quidquid Christus gessit expresse repraesentare. Consecrata Hostia, Sacerdos unum tantummodo genu flectit usque ad terram, manibusque interea Altari innititur, quo facilius sese restituat in pedes: deinde Hostiam in altum elevat et ostendit populo adorandam: idem facit consecrato Calice. Observat Cardinalis Bona Graecos non statim post consecrationem, sed paulo ante communionem Calicem simul et Hostiam elevare;

ostendit vero P. Le Brun, in Ecclesia Romana et Gallicana ab initio XII. seculi Presbyteros consuevisse, ubi ad ea verba pervenissent *omnis honor et gloria*, Hostiam et Calicem elevare, quam nunc secundam seu parvam elevationem appellamus; eam vero, quae nunc fit post Consecrationem eo esse introductam, ut Mysterii veritas, quae a Berengario impetebatur, publico hoc testimonio declararetur. Ecclesia Graeca et Latina semper credidit, post consecrationem ipsos Angelos venerabundos circum Eucharistiam stare, tamquam circum Imperatorem custodes; consentaneum est igitur Sacerdoti Coelitum undique choris circumdato, ut, quantum fert humana fragilitas, illorum reverentiam aemuletur.

ARTICULUS QUINTUS.

A Consecratione usque ad Communionem.

1. In tertiae Orationis fine Sacerdos profert ista verba: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis:* ut declaretur, neminem tam audacem futurum, qui ad Altare Domini accederet, et augustissimum celebraret Mysterium, nisi Christus id jussisset. Quamobrem apposite sequitur quarta Canonis Oratio, quae incipit, *Unde et memores*, et ducitur usque ad *Memento*; nam ante illud verbum ponitur clausula *Per Christum etc.* In hac Oratione Sacerdos iterum nomine populi, ut in

oratione *Suscipe*, *Sancta Trinitas*, Passione, Resurrectione, et Ascensione Christi commemoratis, aeterno Deo Patri Corpus, et Sanguinem offert ejus Filii; *Hostiam* scilicet *puram*, et purificantem; *Hostiam sanctam*, et sanctificantem; *Hostiam immaculatam*, et maculas tergentem; *Panem vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae*, quia Christiani esu et potu sacrosancti sacrificii spiritualem vitam, atque adeo salutem aeternam sibi comparant: subsunt haec verba *de tuis donis ac datis*, propter panis et vini in corpus et sanguinem Christi transubstantiationem, quod quidem praestantissimum Dei donum est. Tria crucis signa ducit Sacerdos super Hostiam et Calicem, cum dicit: *Hostiam puram*, *Hostiam sanctam*, *Hostiam immaculatam*, quartum super Hostiam, cum dicit: *Panem sanctum*; quintum denique super Calicem cum dicit: *et Calicem salutis perpetuae*, ut innuatur virtute Crucis Christi haec omnia bona in nos diffundi. Interim praescribit Rubrica, ut Sacerdos post Consecrationem duos digitos pollicem et indicem conjunctos teneat, quos non sejungat nisi quando Hostiam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post communionem; ne videlicet si aliqua particula digitis adhaeserit, dispergatur; quod quidem, ut ait S. Thomas, pertinet ad reverentiam Sacramenti.

2. In progressu hujus orationis Sacerdos Deum orat, ut propitio ac sereno vultu respicere dignetur ad oblata sibi dona Corporis et

Sanguinis Christi, non quod, ut calumniatur Lutherus, censeat se mediatorem esse inter Patrem et Christum, sed quia, ut observat Bellarm. etsi oblatio consecrata ex parte rei, quae offertur, et ex parte Christi principalis offerentis semper Deo placeat, tamen ex parte Ministri, vel Populi adstantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Praeterea Sacerdos Deum precatur, ut sacra dona sic digne-tur accipere, quemadmodum accepit Abelis munera, et Abrahae sacrificium, et quod illi olim Melchisedech obtulit. Trium illorum sacrificiorum praecipuam in Canone mentionem facit Ecclesia, eo quod expressius novae legis sacrificium significent; sicuti enim Abel Genes. 4. obtulit de primogenitis gregis sui, ita Christus sese obtulit ut *primogenitum in multis fratribus* ad Rom. c. 8. Praeterea sanguis Abel justi a fratre Cain interfecti, Christum Jesum a Judaeis necatum ac pro peccatis nostris mortuum repraesentat. Item in Abrahae sacrificio Isaac immolatus, quin vitam amitteret, figura fuit Jesu Christi, qui mortuus est, ut resurgeret et ad novam vitam rediret. Denique Melchisedech obtulit panem et vinum; et Christus in Altari, sub specie panis et vini, corpus et sanguinem suum offert Deo Patri pro nobis, ipsum nobis pacificans, ita S. Bonav. in exposit. Mis. Adduntur haec verba; *sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*, quae quidem rectum et integrum continent sensum, sive ad sacrificium Melchisedech, de quo fit mentio,

in praecedentibus verbis, sive ad ipsum novae legis sacrificium referantur; ita ut verba illa, *sanctum sacrificium*, cum istis conjungantur; et *accepta habere*; caeteris omnibus, *sicuti accepta* usque ad *Melchisedech*, in parenthesim conclusis.

3. Haec oratio in eam desinit precationem: *Supplices te rogamus... jube haec perferri, per manus sancti Angeli tui, in sublime Altare tuum, etc.* S. Thomas sub nomine *Angeli* ipsum Jesum Christum intelligit, qui vocatur magni consilii Angelus: ad haec verba, *in sublime Altare tuum*, observat Odo Cameracensis in Ecclesia Christi duo esse Altaria, quorum alterum hic apud nos visibile, ex quo visibiliter, nempe ratione specierum, corpus et sanguinem Christi sumimus; alterum invisibile in Coelo, ad quod, per ministerium Angelorum, vota et supplicationes nostrae perferuntur, ut inde benedictionem et gratiam Dei percipiamus. Sacerdos sese profunde inclinat, et manus junctas super Altare tenet, cum dicit, *Supplices te rogamus*, quod quidem bene supplicanti competit; cum dicit, *ut quotquot ex hac Altaris*, osculatur Altare quod typus est Christi; cum Christi Corpus nominat, signum Crucis ducit super Hostiam; atque itidem super Calicem, cum nominat Sanguinem; ac cum benedictionem coelestem et gloriam appellat, ipse se signo Crucis signat: quorum quidem rituum significationes supra jam attulimus.

4. Quinta Canonis oratio incipit, *Memento*

etiam, Domine, ubi oratur pro defunctis; hoc enim ab Apostolis traditum universa per totum orbem observat et observavit Ecclesia, ut pro animabus defunctorum, qui in Purgatorio igne expiantur inter sacrificandum oret. In hoc loco Sacerdos, quorum voluerit defunctorum memoriam agit specialem; et pergens orat etiam pro animabus omnibus, quae in Purgatorio detinentur; ut verba illa indicant, *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus*, pro eis scilicet omnibus postulat, *locum refrigerii*, quod respicit ignem illum quo cremantur; *locum lucis*, quod spectat ad eas tenebras in quibus versantur; *locum pacis*, quod ad illam pertinet mentis anxietatem qua conflictantur: quo triplici poenarum genere miserae illae animae a divina expiantur justitia. Ideo autem diximus pro omnibus qui sunt in Purgatorio orationem fieri, quia ipsis solis defunctis Missae sacrificium tanquam satisfactorium prodest. Testatur id S. August. Enchirid. c. 109. « Neque negandum est, inquit, Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel elemosynae in Ecclesia fiunt. Sed eis haec prosunt qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse meruerunt ». Idem statuit Conc. Trid. Sess. 22 de sacrificio Missae c. 2. et sess. 25. Decreto de Purgatorio. Supra jam monuimus quando quis specialem Missae fructum applicare vult etiam pro defunctis; applicationem vult illam fieri

debere ante Consecrationem, in qua, juxta probabiliorem opinionem, essentia stat sacrificii.

5. Sexta et ultima Canonis oratio incipit, *Nobis quoque peccatoribus*, quae verba elata paululum voce dicuntur ad excitandam praesentium devotionem, et desinit in clausulam *Per omnia secula seculorum*, quae proxime orationem praecedit Dominicam. Quamobrem Feria VI. in Parasceve, cum integer Canon omittitur, qui ad consecrationem pertinet, nulla e senis hisce orationibus dicitur, nec *Per omnia secula seculorum*; sed post ablutionem manuum, initium sumitur absolute ab Oratione Dominica. Sacerdos igitur ante consecrationem Deum est precatus, ut dignetur Ecclesiam Militantem in Triumphantis consortium admittere; idem petiit post consecrationem pro Ecclesia patiente; in hac vero oratione idem sibi et adstantibus petit, quorum nomine offert sacrificium; petit autem his verbis, *Intra quorum* (Sanctorum qui in Coelo sunt) *nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae quaesumus largitor admitte*. Novit scilicet Ecclesia Deum non nisi intercedentibus meritis tribuere beatitudinem; sed nec illud ignorat, ut in Sanctorum admittamur consortium, non modo necessariam esse gloriam, sed etiam gratiam et veniam peccotorum, quae nobis datur per Christum Dominum nostrum. S. Joannem Baptistam putant rerum Liturgicarum periti in hac oratione nominari: observant S. Mat-

thiam in prima Canonis parte inter Apostolos fuisse praetermissum, quia Passionis tempore nondum erat Apostolus; et ipsum post S. Stephanum nominari propter Martyrii ordinem, non dignitatis. Denique advertunt Sanctos ex diverso quoque ordine hic appellari, ex ordine Prophetarum, S. Joannem; Diaconorum, S. Stephanum; Apostolorum, S. Matthiam; Discipulorum, S. Barnabam; Episcoporum, S. Ignatium; Summorum Pontificum, S. Alexandrum; Presbyterorum, S. Marcellinum: Clericorum, S. Petrum Exorcistam; Conjugatorum, SS. Perpetuam, Felicitatem et Anastasiam; Virginum Ss. Agatham, Luciam, Agnetem et Coeciliam; quae quidem SS. Virginum et Mulierum nomina a sancto Gregorio Canoni fuerunt addita.

6. Post Sanctorum imploratam intercessionem Sacerdos, ut cum adstantibus per Jesu Christi merita inter Sanctots admittatur in coelum, ait: *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, etc.* Nonnulli censent verba illa ad novarum frugum referri benedictionem, quae in hac Missae parte fiebat: alii existimant novis illis frugibus benedicendis aliam peculiarem adhibitam fuisse orationem ante praedicta verba: utcumque sit de praesenti controversia; certum est, non in qualibet Missa novarum frugum, aliorumve id genus potuisse fieri benedictionem, in omnibus tamen Missis verba ista dici consuevisse: illud quoque certum est, in hac Missae parte, non am-

plius fieri frugum benedictionem, eademque verba nunc in qualibet Missa dici supra Corpus et Sanguinem Christi; unde necessitas oritur haec et sequentia explicandi nulla habita novarum frugum ratione. De illorum explicatione verborum plures scripserunt, haec autem est, veluti in compendium referta, horum omnium interpretatio. *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas.* Deus enim Pater omnia creavit per Jesum Christum, atque ita panem et vinum in Christi corpus et sanguinem conversum: *sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis;* nam in Christo Jesu dona ad Altare oblata fiunt dona sacra, verbum vitae spiritualis alimentum, et fons coelestium benedictionum: *Per ipsum et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, etc.* Deo enim Patri omnis honor et gloria per Filium Mediatorem Dei et hominum, ipsi Deo Patri aequalem et consubstantialem, et in unitate Spiritus Sancti, qui ex utroque procedens aeque cum Patre et Filio simul adoratur in secula seculorum. Interea Sacerdos juxta praescriptum Rubricae, cum dicit *sanctificas, vivificas, benedicis,* ad singula verba signum Crucis ducit super Hostiam et Calicem: deinde discooperit Calicem, genuflectit, surgit, dexterae manus pollice et indice apprehendit Hostiam, sinistra Calicem supra nodum tenens, et Hostia ipsa ab una ad alteram Calicis oram tria Crucis signa ducit cum dicit *per ipsum, et cum ipso, et in ipso.* Duo postea, tenens

adhuc Hostiam inter se et Calicem, Crucis signa facit, primum cum dicit: *Est tibi Deo Patri*, alterum cum: ait *in unitate Spiritus Sancti*: ac denique ad illa verba, *omnis honor et gloria*, tenens Hostiam supra Calicem, utrumque paululum extollit.

7. Sequitur Oratio Dominica, quae non ex S. Gregorii jussu, ut quidam falso putant, recitatur in Missa; sed ex vetustissima et Apostolica traditione, cujus testes sunt Ss. Optatus Milevitanus, Cyrillus Hierosolymitanus, etc. Ante eam orationem Sacerdos devote praefatur verbis illis: *Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere*, quae vetustissima sunt, ad ea respexisse videtur S. Hieronymus Lib. 3. advers. Pelag. « Sic docuit, inquit, Apostolos » suos (Christus) ut quotidie in corporis il» lius sacrificio credentes audeant loqui; *Pater* » *noster* ». Hanc orationem elata voce recitat Sacerdos; hujus ritus ratio desumitur ex Arcani disciplina, juxta quam neque Oratio Dominica, neque Symbolum in publicis conventibus recitabantur, in quibus esse poterat aliquis Infidelis, vel Catechumenus ad baptisma suscipiendum non satis instructus et probatus; ex quo patet quamobrem in Horis Canonicis submissa, elata vero voce in Missa recitarentur Symbolum et Oratio Dominica: Infideles enim et Catechumeni Horis Canonicis adesse poterant; huic vero Missae parti ut supra diximus, non poterant; sed post Evangelii expla-

nationem dimittebantur. Testatur S. Gregorius Magnus lib. 7. Ep. 64. Orationem Dominicam in Missa Graecorum non a Sacerdote solum : sed ab universo etiam populo recitari ; hanc disciplinam aliquanto tempore retinuit Ecclesia Gallicana ; ut constat ex S. Gregorio Turon. lib. 2. de Miraculis S. Martini ; nunc vero ultima tantum verba : *Sed libera nos a malo*, in Missa solemni, elata voce profert populus ; et in Missa privata, Minister populi vices gerens ; ad cujus desideria confirmanda Sacerdos submissa voce dicit, *Amen*.

8. Oratio *Libera nos*, quae proxime sequitur, Orationis Dominicae continuatio quaedam est : in ea Sacerdos Dominum precatur, ut nos liberet *ab omnibus malis praeteritis*, quae sunt peccata ; *praesentibus*, quae sunt vitae tentationes, quibus ad peccandum impellimur; *futuris*, quae sunt poenae peccatis debitae, sive temporales, sive aeternae. In hac eadem oratione confugimus ad B. Mariam semper Virginem, Sanctos Apostolos Petrum et Paulum, et Andraeam, quia primus ad Apostolatum vocatus, fratrem suum Petrum ad Jesum adduxit ; et ad omnes Sanctos, ut eorum meritis Deus largiatur nobis gratiam, indulgentiam, et pacem. Sacerdos dum incipit orationem, *Libera nos*, Purificatorio extergit Patenam, quae jacebat sub Corporali, eamque manu dextera apprehendit inter digitum indicem et medium, verticalem illam tenens super Altare ; ubi ad ea verba pervenerit, *et omnibus*

Sanctis, sibi a fronte ad pectus Crucis signum ducit; et ad ea verba, *in diebus nostris*, Patenam osculatur; cum autem dixerit, *ab omni perturbatione securi*, Patenae Hostiam superimponit, Calicem discooperit, et genuflectit. Post panis seu Hostiae oblationem, Patena statim Corporali supponitur; ea enim nihil opus est usque ad fractionem Hostiae et Communionem: atque inde fit, ut cum dicit Sacerdos, *Libera nos quaesumus*, instante tempore quo Hostiam frangat et sese communicet, Patenam apprehendat. Jam vero Patena sibi Crucis signum ducit, eamque osculatur, quia Patena instrumentum est pacis, utpote quae sit vas ubi ponitur sacra Eucharistia, quae Christianorum est pax: eaque utitur ad signum Crucis sibi faciendum; per Crucem enim Christus ea omnia disjecit, quibus pax nostra perturbatur. *Ipse enim est pax nostra, etc. solvens inimicitias in carne sua.* inquit Apostolus, Ephes. c. 2.

9. Sacerdos facta genuflectione surgit; sumit Hostiam, quam supra Calicem tenens utraque manu, reverenter frangit per medium in duas partes dicens: *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.* Dimidium illud Hostiae, quod habet in dextera, ponit super Patenam, et ab altera media parte, quam habet in sinistra, fragmentum detrahit dicens, *qui tecum vivit et regnat*, et illud fragmentum retinens inter pollicem et indicem dexterae manus, partem quam sinistra

tenet adjungit mediae super Patenam positae interim dicens, *in unitate Spiritus Sancti Deus*; ac manu dextera fragmentum illud tenens supra Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, elata voce dicit: *Per omnia secula seculorum*; Minister respondet, *Amen*. Tum Sacerdos ipso fragmento terna Crucis signa ducit supra Calicem dicens: *Pax Domini sit semper vobiscum*: Minister respondet: *Et cum spiritu tuo*. Denique Sacerdos fragmentum illud in Calicem immittit dicens: *Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen*. Est autem Fidei Catholicae dogma, incorruptibile, et impassibile esse Corpus Christi in Eucharistia, ipsum integrum esse in quolibet Hostiae fragmento, integrumque a Fidelibus sumi in quacumque Hostiae particula, unde quando in Rubrica legitur: *frangitur Hostia*, illud non potest ad ipsum Christi Corpus referri, sed tantum ad accidentia seu species sacramentales. Hostiae fractio ad ipsiusmet Christi institutum refertur, qui in istitutione Eucharistiae accepit panem in sanctas manus suas, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, idque jussit eosdem in sui facere memoriam.

10. Varii varias sacrorum illorum Rituum mysticas afferunt rationes; sufficiat nobis annotasse illos plenos esse mysterii; in Missa enim, usque ad hanc de qua loquimur partem, Jesu Christi Passio et mors repraesenta-

tur, per consecrationem corporis et sanguinis separatim factam: namque vi verborum consecrationis, mystica fit separatio corporis a sanguine, et sanguinis a corpore; sub speciem panis corpore Christi, et sub speciem vini sanguine subeunte; licet reipsa corpus Christi, utpote vivens, non sit sine sanguine, nec sanguis vicissim sine corpore. Reliquum erat igitur, ut gloriosa exprimeretur Christi Resurrectio; neque id concinnius fieri poterat, quam si Hostiae particula immitteretur in Calicem, atque ita corpus iterum conjungeretur cum Sanguine. In hanc significationem consentit Innocentius III. lib. 9. Myst. c. 2. qui et observat ideo ter signum crucis produci cum fragmento Hostiae super Calicem, quia virtus Trinitatis animam Christi crucifixi Corpori ejus reddidit. Olim consuetudo erat, ut Episcopus antequam diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, quibusdam conceptis precationibus solemnitati respondentibus populo benediceret, ut constat ex Missalibus vetustissimis a Cardinali Bona *Rerum Liturgicarum lib. 2. cap. 26* probe inspectis, ex perantiquo Pontificali Romano Leoni X. dedicato; et ex codicibus manuscriptis antiquae notae apud Menardum in notis ad Sacramentar. S. Greg. pag. 27. Hunc autem Ritum retinent et observant Episcopi quidam, quando Missam celebrant in Pontificalibus. Demum ista verba, *Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini, etc,* sunt notanda. Vox illa

commixtio, ut observat Innocent. III. referri debet ad species panis et vini quibus continetur Corpus et Sanguis. Ad vocem vero *consecratio* illud animadvertit P. Le Brun pag. 589 quod, cum corpus consecratum sub specie panis consecratio corporis dicatur, et sanguis consecratus sub specie vini dicatur consecratio sanguinis; corpus et sanguis in Calicem simul commixta, dici possunt consecratio corporis et sanguinis.

11. Sacerdos, dicta oratione, *Haec commixtio*, inclinatus in SS. Sacramentum, manibus junctis, ter dicit intelligibili voce, *Agnus Dei*, *etc.* et dextra percutiens sibi pectus, sinistra supra Corporale posita, dicit *miserere nobis*: deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus cum dicit secundo, *miserere nobis*, quod et tertio facit cum dicit, *dona nobis pacem*. Verba illa, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, verba sunt S. Joannis Bapt. cum primum vidit Christum ad se venientem. Joan. c. 1. v. 29. Sergius Sum. Pont. ut refert P. Le Brun, instituerat ter dici, *miserere nobis*; qui quidem usus usque ad annum millesimum invaluit, ut constat ex antiquis illius aevi Missalibus; sed multis postea ingruentibus Ecclesiae adversitatibus, ut ait Innocentius III. sive ad tollendum schisma, ut alii scribunt, statutum fuit ut in tertio diceretur, *dona nobis pacem*. Pectus sibi percutit Sacerdos in signum contritionis, non modo cum dicit, *miserere nobis*, sed etiam cum dicit, *dona*

nobis pacem; fortasse quia olim tertio itidem dicebatur, *miserere nobis*. In Missis defunctorum, juxta nostram Rubricam, Sacerdos non percutit sibi pectus, neque dicit, *miserere nobis*; sed, *dona eis requiem*, ut ostendat Defunctorum se magis quam sui esse memorem. Ita sentit Hugo a S. Victore, cui assentitur Gavantus.

12. Manibus junctis super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, Sacerdos mediocriter inclinatus dicit tres orationes, *Domine, Jesu Christe, qui dixisti. Domine, Jesu Christe Fili Dei. etc. Perceptio Corporis.* prout in ordine Missae apponuntur. Tres illae orationes non ex antiqua summorum Pontificum institutione; sed ex piorum et religiosorum hominum traditione communióni praemitti solent, ut scribit Micrologus, cui consentiunt Bona, Bellarminus, Gavantus. In prima oratione Sacerdos Ecclesiae pacem precatur; illa expleta, si quidem danda sit pax, osculatur Altare, et dicit, *Pax tecum*, quique accipit pacem respondet, *Et cum spiritu tuo*. Olim dabatur pax cum osculo, de illo, quod etiam sanctum appellatur, loquitur Apóstolus 1. ad Corinth. c. 16 et B. Apost. Petrus Epist. 1. c. 5. *Salutate*, inquiunt, *invicem in osculo sancto*: ejusdem meminerunt Tertullianus, Athenagoras, Ss. Augustinus, Chrysostómus, etc. unde videtur esse institutionis Apostolicae. Hujus osculi causam hanc affert Isodorus, « nempe ut charitate omnes reconci-

» liati invicem, digni Sacramento Corporis » et Sanguinis Christi consocientur, quia non » recipit dissentionem cujusdam Christi invisibile corpus ». Veteri tandem simplicitate in malitiam degenerante, subtractum paulatim est osculum, et ejus vice mos introductus porrigendi tabellam, cum Crucis vel Christi imagine, quam quidam *Osculatorium* appellant; alii mutuo amplexu munus illud persolvunt. Sacerdos antequam det pacem osculatur Altare, ut ostendat se pacem dare non posse, nisi a Christo, cujus figura est Altare, pacem prius acceperit. In Missis Defunctorum non datur osculum pacis; trium orationum prima ex praescripto Rubricae omittitur; quia, ut observat S. Thomas, 3. part. quaest. 83. art. 4. in Missis Defunctorum non pro praesenti pace sacrificium offertur, sed pro requie mortuorum. Pax etiam omittitur in signum moeroris in Missa seu Officio Feriae VI. in Parasceve.

ARTICULUS SEXTUS.

De Communione usque ad finem Missae.

1. Dicta oratione tertia, quae incipit, *Perceptio*, Sacerdos genuflectit, surgit, et voce submissa dicit, *Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo*; quo dicto dextera manu accipit de Patena reverenter ambas Hostiae partes, et collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus; quibus Patenam inter

indicem et medium supponit; ac parum inclinatus, dextera ter sibi pectus percutiens, ter etiam dicit voce aliquantulum elevata: *Domine, non sum dignus*, et secreto prosequitur, *ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Quibus dictis accipit duas Hostiae partes a sinistra manu inter pollicem et indicem dexterae; eademque Hostia seipsum signat crucis signo dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam, amen:* et se inclinans, cubitis super altare positis, reverenter sumit utramque Hostiae partem: quibus sumptis, Patenam deponit super Corporale, et erigens se junctis manibus ante faciem, aliquantisper quiescit in sanctissimi Sacramenti meditatione. Verba illa, *Panem coelestem etc.* sunt ex Psal. 115 et ista, *Domine non sum dignus*, verba sunt Centurionis de quo Matth. c. 8. in quibus parva est quaedam immutatio, substituuntur enim voces istae, *anima mea*, pro iis, *puer meus*. Consuetudinem praedicta verba recitandi ad Communionem esse perantiquam, constat ex Origene Hom. 5. et S. Chrysostomo Homil. de S. Thoma Apostolo.

2. Sumpta sanctissima Hostia Sacerdos depositis manibus dicit secreto: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* Quae verba sunt ex Psal. 115 deinde discooperit Calicem, genuflectit, se erigit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Pa-

tena, si qua in eo sint, pollice vel indice dexterae manus Patenam supra Calicem, et ipsos digitos extergit, ne quid in eis fragmentorum remaneat, dextera Calicem accipit, Patenam sinistra tenens, et dicit: *Calicem salutaris*, *etc. Laudans*, *etc.* quae postrema verba sunt ex psal. 17 et signans se signo crucis cum Calice dicit: *Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat*, *etc.* et manu sinistra supponens Patenam Calici, quem tenet dextera infra nodum, reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in eo posita. Deinde secreto dicit orationem: *Quod ore sumpsimus*, *Domine*, *etc.* et super altare porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolae, quo vinum fundente, se purificat: postea vino et aqua pollices et indices abluit super Calicem, quos Purificatio abstergit, interim dicens: *Corpus tuum*, *Domine*, *quod sumpsi*, *etc.* Deinde idem vinum et aquam sumit. De purificatione, quae post Communionem fit solo vino, loquuntur Innocentius III. in cap. *Ex parte* de celebrat. Missar. et S. Thomas 3. part. quaest. 85 ideo sumitur, ut os abluatur. De digitorum ablutione, quae fit cum vino et aqua, loquitur idem S. Doctor, nec innuit illam a Sacerdote assumi. Existimat Durandus hanc ablutionem olim in locum mundum conjiei consuevisse: nunc vero ob reverentiam Sacramenti, et propter periculum ne aliquod fragmentum digitis, aut Calici aliqua sanguinis gutta adhaeserit, Sacerdos vinum hoc bibit

aqua mixtum. S. Pius V. scribit hanc ablutionem sumendam esse ab ea Calicis parte, e qua haustus fuerit sanguis. Peccaret Sacerdos, ait Pontas Diction. verbo Missa, cas. 27 qui in regione vini minime feraci, ubi propterea vinum esset maximi pretii, tum in prima, tum in secunda purificatione uteretur sola aqua quia faceret contra praeceptum et usum Ecclesiae, et sacrae etiam Trident. Synodi, quae novos Ritus in Missa novasque ceremonias omnino prohibet.

3. Si qui eorum, qui Missae adsunt, Eucharistiae velint participare; postquam sacerdos sumpsit sub utraque specie Sacramentum, Minister recitat *Confiteor*, et Sacerdos ad eos qui ad mensam accedunt Eucharisticam conversus, recitat orationes, *Misereatur vestri, et Indulgentiam*, *etc.* ubi Minister responderit, *Amen*, Sacerdos se ad Altare convertit, genuflectit, accipit Pyxidem vel Patenam, et dextera tenens Corpus Christi, conversus ad eos qui Sacramenti fieri volunt participes, semel dicit, *Ecce Agnus Dei*, *etc.* Deinde ter dicit, *Domine non sum dignus*, *etc.* Tum unicuique porrigit Sacramentum, faciem cum eo signum crucis supra Pyxidem seu Patenam, et singulis dicit: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, *etc.* Omnibus communicatis, revertitur ad Altare nihil dicens; et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missae: si particulae positae erant super Corporale, extergit illud cum Patena, et si qua

in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Observat Baronius ad ann. Christi 57 olim sumpturis Eucharistiam quasdam mensulas spongia expolitas apponi consuevisse; his hodie linteamina munda successerunt, ut si quid forte decidat, iis excipiatur. Rubrica Missalis, et Rituale Romanum praescribunt, ut Communio populi intra Missam fiat, nisi si quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda; cum orationes quae post Communionem in Missa dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios Communicantes spectent. Est autem apud Auctores rationabilis et juxta causa, si plurimi adessent Missae, et suspicioni locus esset, ne plures taedio afficerentur, finem Missae expectantes, qui finis longe abesse posset, si multi ad Eucharistiam suscipiendam accederent. Ex quo apparet eos errare, qui nullo discrimine, post finem Missae sacram praebent Eucharistiam.

4. Adversus Missas quae ideo privatae dicuntur, quod in iis solus Sacerdos nec quisquam alius Sacramentum suscipiat, calumnias evomuere suas Lutherus, Calvinus, Kemnitius, et alii ejusdem furfuris homines: ad eos confutandos sufficiat Sacrosanctum, firmissimisque nixum fundamentis referre Trident. Synodi Decretum sextum sess. 22 de sacrif. Miss. « Optaret quidem Sacrosancta Synodus, » ut in singulis Missis Fideles adstantes, non » solum spirituali affectu; sed Sacramentali » etiam Eucharistiae perceptione, communi-

» carent; quo ad eos sanctissimi hujus sacri-
» ficii fructus uberior proveniret: nec tamen
» si id non semper fiat, propterea Missas il-
» las, in quibus solus Sacerdos sacramentali-
» ter communicat, ut privatas et illicitas dam-
» nat, sed probat atque adeo commendat; si
» quidem illae quoque Missae vere communes
» censeri debent, partim quod in eis populus
» spiritualiter communicet, partim vero quod
» a publico Ecclesiae Ministro, non pro se
» tantum, sed pro omnibus Fidelibus qui ad
» Christi Corpus pertinent, celebrentur ». Unde ejusdem sess. can. 8. sic decernit. « Si quis
» dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos
» sacramentaliter communicat, illicitas esse
» adeoque abrogandas, anathema sit ». Et sane ad sacrificii essentiam non pertinet, ut ei aliqui intersint, et de Sacramento participent; omne enim sacrificium ad Deum refertur, et ejus fructus aeque ad eum qui abest, quam ad eum qui adest pervenire potest: cum praesertim sacrificium efficacissima sit Oratio; possit autem Oratio eum adjuvare, qui nesciat etiam illam pro se offerri. Nunc Missae cursum repetamus.

5. Postquam Sacerdos Sacramentum ipse sumpsit, et astantibus distribuit, si quis int communicandi, et sumpsit ablutiones, extergit os et Calicem Purificatorio, quo facto disponit Calicem et collocat in medio Altari, ut in Missae initio. Tum se confert ad cornu Epistolae quo Minister Missale transtulit: jun-

etis manibus legit Antiphonam, quae *communio* dicitur, redit ad medium Altare illudque osculatur; conversus ad Populum dicit, *Dominus vobiscum*, Ministro respondente, *Et cum spiritu tuo*; et reversus ad librum legit extensis manibus orationem quae dicitur, *Postcommunio*: postremo librum claudit, tum redit rursus ad medium Altare, quod osculatur; ad populum autem conversus dicit, *Dominus vobiscum*, atque, *Ite Missa est*, vel volvens se ad Altare, *Benedicamus Domino*, si ita praescribat Rubrica; cui respondet Minister *Deo gratias*: in Missis vero Defunctorum dicit, *Requiescant in pace*, cui Minister respondet *Amen*. Denique inclinatus in medio Altari dicit orationem, *placeat*; et conversus ad Populum, ei benedicit, quod praetermittit in Missis Defunctorum: inde se conferens ad cornu Evangelii dicit *Dominus vobiscum*; recitat Evangelium S. Joannis, vel aliud Evangelium quod Rubrica praescripserit, signans in principio librum seu chartam et seipsum in fronte, ore, et pectore: cum dicit, *Et verbum caro factum est*, genuflectit versus cornu Evangelii, et surgens prosequitur ut prius; quo finito Minister respondet, *Deo gratias*. Lecto demum Evangelio Sacerdos ab Altari recedens, et sacris vestibus se exuens, Canticum recitat trium Puerorum, *Benedicite omnia opera*, *etc.*

6. Antiphona quae *Communio* dicitur, idcirco eo nomine donatur quia interea canebatur dum Populo Eucharistia distribuebatur.

Aliae consecuuntur orationes, quae vocantur, *Postcommunio*, quia proxime post Communionem recitantur, ad gratias Deo agendas quod tantorum mysteriorum nos voluerit esse participes, et ad gratiam ab eo postulandam, ut ejus fructum, et quidquid operari sanctificationem potest, conservemus : unde hujusmodi orationes vocabantur, *gratiarum actio* : in aliquibus locis appellabantur, *Orationes ad complendum*, quia iis res tota finiebatur. Rubrica missalis praescribit ut praedictae orationes multiplicentur secundum numerum Collectarum in Missae principio, et Secretarum ante Praefationum praemissarum. Per Quadragesimam in Missa Feriali post orationes quae vocantur, *Postcommunio*, Sacerdos praefatus formulam, *Humiliate capita vestra Deo*, dicit orationem *super populum*. Vetustissima est ista Oratio, ut colligitur e Sacramentario Gelasiano : olim per totum annum, nunc per Quadragesimam tantum recitatur : ut divino Populus muniatur praesidio adversus insidias Diaboli, quas hostis generis humani diebus poenitentiae multiplicat : ita rem explicant Amalarius et Micrologus.

7. De illa formula dimittendi Populum, *Ite Missa est*, alibi sermonem habuimus ; sensus horum verborum hujusmodi est, *vobis abire licet*, *nam fit Missa* seu *dimissio*. Juxta eam, quae nunc invaluit, disciplinam ; quoties in Missa dicitur *Gloria in excelsis*, toties dicitur, *Ite Missa est* ; toties autem in Missa dicitur

Gloria in excelsis, quoties in Nocturno officio dictus est Hymnus, *Te Deum*; si vero Hymni illi omittantur, dicitur, *Benedicamus Domino*, ut invitetur Populus ad gratias de expleto Missae sacrificio Deo agendas: quamobrem in Missis Ferialibus, et etiam Dominicis Adventus et Quadragesimae omittatur praedicta formula; alii dicunt cum Micrologo, id fieri ad designandam temporis moestitiam, quia videtur aliquid lugubre praeseferre, quod non publica denuntietur dimissio, sed unusquisque per se discedat. Alii cum Cardinali Bona, sentiunt omissam fuisse formulam, *Ite Missa est*, quando Populus absoluta Missa non illico Ecclesia abibat, sed expectabat dum Horae recitarentur Canonicae, eamque consuetudinem etiam in Missis minus solemnibus et quotidianis invaluisse. In Missis Defunctorum dicitur, *Requiescant in pace*, vel ex sola generali consuetudine ut praetendunt quidam, vel quia tota Missa pro defunctis in eo est, ut ipsis a Deo quietem impetret; vel quia post Missam non erat dimittendus Populus, qui remanebat ad Cadaveris sepulturam, aliasque preces pro animabus Defunctorum.

8. Oratio *placeat* in pluribus reperitur sacramentariis post seculum IX. scriptis; eam Sacerdos secreto recitat, est enim pro ipso peculiaris oratio, illamque dicit inclinatus, ut aequum est, ad Altare, in signum humilitatis et religionis, si quidem ad sanctissimam Trinitatem illam dirigit. Haud ita vetus est

consuetudo qua Sacerdos benedicit populo in fine Missae: de ea altum est silentium apud auctores IX. seculi. Guido Abbas qui XI. floruit seculo asserit hunc ritum inolevisse, cum jam populus communicare cessaret, nec tamen a Divinis Mysteriis se subtraheret: ne videlicet Presbyteri eum tam benedictione quam communione privatum discedere permitterent. Ternis olim crucis signis Sacerdotes populo benedicebant; sublatus est autem a Clemente VIII. hujusmodi ritus, et solis Episcopis reservatus in omnibus Missis; nam ex Alexandri VII. decretis, potestas fit Abbatibus regularibus ternas dandi benedictiones in Missis tantum Pontificalibus. Vetustissima est e contra Episcoporum solemnis benedictio: hujus antiquitatis multa reperire est argumenta apud Christianum Lupum *tom. 5. pag. 526.* Olim ante communionem eam Episcopus largiri solebat, ut suo loco ostendimus, et tunc nulla in fine Missae praescripta erat; quod quidem patet in vetustissimo Missali Vaticano MS. supra laudato, in quo ritus Episcopalis benedictionis fusius explicatur; hoc enim peculiariter notatur, quod quando haec solemnis benedictio datur ante communionem, non est necesse in fine Missae iterum benedicere; unde cum Episcopi plures, ut supra, in Missis Pontificalibus priorem dent benedictionem, ante haec verba, *Pax Domini, etc.* non iterum benedicunt populum in fine Missae.

9. Sacerdos postquam a Deo benedictionem

populo precatus est, in Missis pro Defunctis, post orationem, *placeat*, legit initium Evangelii secundum Joannem, signum crucis ducit super initium Evangelii, signatque sibi frontem, os et pectus; horum Rituum eaedem sunt mysticae explanationes, quae supra assignatae sunt Ubi ad haec verba pervenerit, *Et Verbum caro*, *etc.* genuflectit, divinumque Verbum adorat, quod eo se dimisit, ut humanam carnem assumeret. Minister dicit *Deo gratias*, ut Missa in gratiarum desinat actionem. Ante recognitionem Missalis Romani a S. Pio V. nullum extabat praeceptum hujus Evangelii recitandi; ut constat ex quibusdam Missalibus tam editis quam MS. a Cardinali Bona recensitis; unde aliquid illud legebant, alii vero omittebant, prout cuique collibitum erat: ait vero, ut scribit Burius in vita S. Pii, statuit praefatus S. Pontifex, ut in fine Missae a Sacerdotibus recitaretur, quia est veluti compendium praecipuorum fidei nostrae mysteriorum, Ss. Trinitatis, Creationis mundi, Incarnationis Christi. quae tunc profitetur Sacerdos suo et totius Ecclesiae nomine. Quanti illud facerent ipsimet Philosophi Gentiles testatur S. Augustinus *Lib. 10 de civit. Dei*, *C.* 29 censebant nempe illud aureis litteris esse conscribendum, et per omnes Ecclesias in locis eminentissimis esse proponendum. Fidelium vero tanta erat erga istud Evangelii initium devotio, ut illud collo appensum tanquam fidei suae symbolum contra Arianorum

impietatem, gestare solerent; ut refert Maldonatus *comment. in cap. 1. Evan. S. J. num. 15.* Lecto demum Evangelio, Sacerdos ab Altari recedens, et sacris vestibus se exuens, hymnum recitat trium Puerorum, *Benedicite*, ex veteri consuetudine cujus meminit Micrologus, quaeque multis probatur Missalibus apud Cardinalem Bona, *Rerum Liturgic. lib. 2. cap. 20.* Quaedam Ecclesiae, loco cantici, *Benedicite*, recitant Hymnum, *Te Deum.*

10. Jam vero ex supra dictis patet, introitum cum reliquis usque ad Evangelium in cornu Epistolae recitari, et *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *et Credo*, caeteraque; omnia quae ad substantiam pertinen sacrificii, in medio dici Altaris; Sacerdotem vero, sacrificio peracto, redire ad cornu Epistolae, ibique orationem recitare quae appellatur, *Postcommunio*; tum facta ex medio Altaris super populum benedictione, transire ad cornu Evangelii, ubi recitat initium Evangelii secundum Joannem: censent nonnulli rerum Liturgicarum periti hujusmodi Ritus à Missis solemnibus ad privatas fuisse derivatos. Nempe cum offertorii tempore Fideles, ut supra monuimus, oblationes ad Altare soliti essent deferre, supra quas Sacerdos multa impendebat benedictiones; necesse erat, ut oblationes illae ad cornu Epistolae reponerentur, ac proinde ab eo loco amoveretur liber, et ad alteram Altaris partem asportaretur, quo Sacerdos commode posset legere et oblationes benedicere;

quia vero in praefatis solemnibus Missis post Communionem pars Altaris ad cornu Epistolae, summotis inde jam oblationibus, expedita erat, pars vero ad cornu Evangelii a subdiacono occupabatur, qui Calicem tergebat et componebat ad Sacrarium deferendum; propterea Missale ad cornu Epistolae referebatur; porro ulterius anxie nihil opus est quaerere, cur non in cornu Epistolae, sed in cornu Evangelii legatur initium Evangelii secundum Joan. fortasse in eadem parte Altaris decere visum est, ut secundum Evangelium legatur, ubi antea primum recitatum fuerat. Atque hoc est naturale fundamentum, cur modo in hoc, modo in illo Altaris loco, in diversis Missae partibus, Sacerdos has vel illas dicat preces et orationes. Quamquam et in hujusmodi Ritibus non desit mysticus sensus; quidam enim dicunt, cornu Epistolae populum Hebraeorum, qui primi vocati sunt ad Evangelium, cornu autem Evangelii Ethnicos significari, qui Evangelium a Judaeis aspernatum acceperunt; reditum vero ad cornu Epistolae post Communionem futuram exprimere Hebraeorum conversionem.

CAPUT TERTIUM.

Quid praestare debeat Sacerdos post Missae Celebrationem.

Peracta Missa aut Communione permagni refert, nosse uti illo tempore, quo apud nos demoratur Christus et tanti hospitis praesentia frui. Neque enim tempus, ad negotia salutis agenda, magis opportunum nobis obvenire potest quam cum ipsum penes et intra nos habemus salutis auctorem. (1) « Oportet igitur » (ait pius imitationis Christi auctor) ut non » solum praepares te ad devotionem ante Com- » munionem; sed, ut etiam te sollicite conserves » in eo post Sacramenti perceptionem ; nec » minor custodia post exigitur quam devota » praeparatio prius ; nam bona postmodum » custodia, optima iterum est praeparatio ad » majorem gratiam ; ex eo quippe redditur » quis valde indispositus, si statim fuerit ad » exteriora nimis effusus ».

Ex te ipso disce quid facto sit opus, si quispiam te invitasset ; sed domo jam exceptum, mox, quasi taedio consortii tui affectus, te desereret, ad ludicra et inania quaeque sese convertens, nulloque familiari colloquio aut benevolentiae et humanitatis obsequio tecum agere dignatus : nonne illi inurbanitatem istam

(1) *Lib. 4. cap. 12.*

et contemptum crimini verteres, ac hujusmodi amicum, utpote parum officii sui memorem, dedignareris? Vide itaque quid de iis dicendum, qui Deo in domum suam recepto, mox illi dorsum obvertunt, et abscedunt, nec curant cum eo paulisper conversari. Quidnam hoc est, nisi talem tantumque vilipendere hospitem, imo illum graviter offendere? maxime cum is sit hospes, qui in domum tuam venit, non ut reficiatur a te; sed ipse te reficiat. Quid ergo sic properas? Quid quaeris praeter Deum tuum? Plus ille te docebit quam omnes libri; plus delectabit quam omnes amici; plura prestabit commoda, quam omnes mundi artes, honores, opes, et scientiae.

1. Cantico igitur trium Puerorum absoluto, quo ad gratias Deo pro tanto beneficio persolvendas, omnes debuisti creaturas invitare ardentissimo affectu et flagrantissima devotione: cave ab inanibus hominum colloquiis; in locum ab omni strepitu et distractione remotum te recipe; mane in secreto ac suavissimo fruere hospite tuo; deduc illum in interiori cordis tui cubiculo, et clauso ostio, caeterisque cogitationibus exclusis, illi soli vacare stude, ne ab eo discedas, donec ipse benedixerit tibi: his etenim pretiosis horae momentis, larga vel tenuis fieri debet in animam tuam donorum coelestium effusio, pro modulo charitatis, affectuum et desideriorum tuorum, animique tui gratae significationis. Sicuti namque ingratus animus fontem divinae largitatis exsiccat, ita

et grata donorum ejus memoria torrentem aperit spiritualium benedictionum.

2. Dilata itaque cor tuum, et implebit illud bonorum omnium largitor; aperi os tuum et attrahes in te Spiritum sanctum: prout coelestis illius aura afflaverit, vel audi quid loquatur in te Dominus Deus tuus, vel cum eo tua commiscere colloquia ne formides; (1) *Non enim habet amaritudinem conversatio illius; nec taedium convictus ejus, sed laetitiam et gaudium.*

3. Perfectissimos diversarum virtutum actus elicies. Christum adorabis, non tantum ut in throno gloriae suae residentem in coelis; sed ut intima cordis tui penetralia inhabitantem: omnes animae tuae facultates, omnia corporis tui membra, sensus et organa, summo pietatis affectu illi subjicies; adeo ut in ejus honorem et obsequium cedant.

4. Firma fide credes et confiteberis tantum hospitem in vili pectoris tui tugurio receptum, et sub exiguis sacramenti speciebus delitescentem, esse vere Deum et Hominem; Deum ab aeterno per omnia Patri aequalem et consubstantialem; Hominem in tempore, operante supremi Numinis virtute, cujus Divinitati et Humanitati ea omnia competunt, quae credit et docet Ecclesia.

5. Cum in ipso omnium bonorum pignus

(1) *Sapient. c. 8.*

habeas, ipsius meritis omnia, quibus indiges, dona sperabis et gratiae et gloriae, imo et naturae, in quantum ad salutem tibi sunt profutura; certo confisus illum promissis suis non defuturum, modo partes tuas expleveris.

6. Quia vero amor amore compensatur, et ipse ineffabili et infinita te prosecutus est charitate, nihil non tentabis, ut eum toto corde, tota mente, totisque viribus diligas; gaudebisque quam maxime quod ipsius dotes et attributa tantae sint excellentiae, ut nonnisi a seipso possint ex aequo percipi.

7. Infinitam Redemptoris mundi mirare benignitatem, et illam humilitatis abyssum, qua in hoc sanctissimo se abscondit sacramento, ut sui ipsius omniumque, quibus affluit, bonorum te faceret comparticipem. Humiliare igitur in conspectu Dei tui, attentis peccatis quibus deliquisti, praesenti temporis in quo versaris statu, excelsoque virtutum apice ad quem tendere debueras, a quo tamen longo dissides intervallo.

8. In profundo nihili tui dimissus, humiliter agnosce nihil quippiam penes te esse, quo pro tanto beneficio grates Deo persolvas; adeoque tenuitatis et indigentiae tuae tibi ipsi conscius beatissimam Virginem, sanctos Angelos, et omnes Coelites in subsidium adhibe tuae paupertatis, invitando eos ad magnificandum Dominum tecum, et ad exaltandum uno consensu nomen illius.

9. Quoniam vero nec intensissimi omnium

Coelestium religiosi actus ejus sunt dignitatis et valoris, ut tantam Dei erga te munificentiam valeant compensare, ipsum Dei et hominum mediatorem Jesum Christum deprecare, ut sibi vice tua et intra te satisfacere dignetur, omnesque acceptet vitae suae labores et angustias, omnia mortis suae opprobria et tormenta, omnem denique gloriae suae excelsitudinem et excellentiam, in dignam pro gratia tibi praestita gratulationem.

10. Ad pedes Domini, cum summo doloris et amoris sensu, provolutus, ignosci tibi suppliciter exora, omnes anteactae vitae tuae iniquitates, omnem torporem et negligentiam, omnemque segnitiem et ignaviam quibus in exequendis muneribus tuis, et in prosecutione virtutum praepediris; quod quidem ut assequaris, tuas cum ipsius meritis consociabis satisfactiones.

11. Peramanter etiam cum ipso conquerere de quotidianis tuis excessibus, animaeque tuae, languoribus et miseriis; ingemisce et dole quod cum ipse sit qui venerit ignem mittere in terram, nihilque tantopere velit quam ut accendatur; concretum tamen gelu pectus habeas, et ad ardorem hujus splendidissimi solis non liquefias. Roga eum, ut perlustret cor tuum, et omnia interiora tua, virtusque de eo exeat ad sanandum et vivificandum quidquid morbidum et vitiosum in te repererit.

12. Aperi ei totum cor tuum, ea quae congruit amicum inter et amicum, filium et pa-

trem confidentia, cum ipse horum omnium partes, tui causa, sustineat. Omnes igitur anxietates tuas et aerumnas, omnes calamitates et angustias, quidquid denique ad salutem tum animae tum corporis conferre valet, illi fidenter expones, certo persuasus eum tibi non defuturum, neque enim amare potest et deserere.

13. Cum eo potissimum fine sanctissimum istud sacramentum sit institutum, ut omnes qui hujus fuerint participes in Jesum transformentur; (1) *Qui manducat me*, inquit *et ipse vivet propter me;* per nimiam illam charitatem, qua te dilexit, obsecra eum et obtestare, ut omnes virtutes et omnia, quibus ditatur, spiritalia dona in te transfundat, et fiat invicem perfecta studiorum, consiliorum, voluntatumque communio; adeo ut quod vivas, jam non vivas ipse, vivat vero in te Christus.

14. Omnia vitae tuae momenta, sed extremum imprimis spiritum tuum illi commenda, eximiumque istud efflagita perseverantiae donum, quo caetera dona cumulantur; ut moriatur anima tua morte justorum, et fiant novissima tua illorum similia.

15. Nec vero propriis tuis ita intendendum est commodis, ut et aliorum obliviscaris pro quibus orandum tibi incumbit: sacerdotis est plorare inter vestibulum et Altare, et pro

(1) *Joan. c. 55.*

omnibus quibus gravatur populus, necessitatibus Dominum deprecari. Supplex nimirum a Deo deposces, ut sanctissimam Ecclesiam omnium fidelium matrem exaltare et amplificare dignetur; ut ad istius almae matris sinum omnes errantes haeretici, schismaticive revocentur; omnesque infideles, in regione umbrae mortis sedentes, illuminetur; Dominum exorabis ut Pastores Ecclesiae regat et tueatur; Principibus Christianis pacem donet et concordiam; peccatoribus veram cordis conversionem et remissionem, justisque profectum concedat et perseverantiam; ut omnes propinquos, benefactores, amicos tuos, imo et adversantes tibi, vel eos qui te aliquando molestia affecerunt, vultu sereno et acceptabili respiciat; omnibusque Fidelibus Defunctis lucem aeternam et requiem indulgeat.

His vel similibus exercitiis, prout Religio tibi suggesserit, peractis; cor tuum et sensus externos omni custodia conservare satages, crebrisque per diem piis affectibus, ne tanti memoria beneficii dilabatur, summam Dei erga te dignationem compensare conaberis. Cum autem ea sit humani ingenii conditio, ut illi pretiosiora quaeque ex usu vilescant et taedium afferant: ne repetitis semper iisdem actibus fervor languescat charitatis, subjiciuntur tibi quaedam meditationes de praecipuis Christi dotibus, quarum sensus si attente et sedata mente ponderaveris, non modicum fructum reportabis.

MEDITATIONES

Ante et post sacrum pro singulis hebdomadae diebus.

DOMINICA.

Jesu Deus noster.

1. Quis venit? Jesus Christus: (1) *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*: (2) *Quem constituit* Pater *haeredem universorum, per quem fecit et secula: Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Majestatis in excelsis: Qui tanto melior Angelis effectus est, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit Deus aliquando Angelorum Filius meus es tu; ego hodie genui te? Et rursum, Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. Unde et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit, Et adorent illum omnes Angeli Dei.*

Nec minori cultu dignus est Jesus ille noster in Eucharistia, sub speciebus panis et vini delitescens; ut pote qui cum omnibus suis dotibus et attributis ibi resideat, majestate nimi-

---

(1) *Rom. 9. 5.* (2) *Hebr. 1. 2. ad 7.*

rum, omnipotentia, aeternitate, immensitate, sapientia, bonitate, justitia et misericordia; omniaque ista simul cum humanitate sua in hoc sanctissimo recondat Sacramento, ne videlicet opprimaris a gloria.

Mirare igitur summam Dei sancti hujus erga te benignitatem, dicendo cum Propheta: (1) *Vere tu es Deus absconditus Deus Israel Salvator:* et rursum (2) *Ergo ne credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram; si coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec mea* coenosa et sordibus referta?

2. *Ad quem venit?* Ad te pauperculam et vilissimam creaturam, quae Deum et Creatorem contemnens, (3) *mutavit gloriam suam in Idolum:* dereliquisti enim Dominum Deum tuum; confregisti jugum ejus, rupisti vincula ejus; dixisti, non serviam, et ad deos alienos, mundum, carnem, satanam declinasti.

Et nunc revertere aversatrix anima, (4) scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum. Ante majestatem tantam, (5) ad cujus nutum columnae coeli pavent et contremiscunt; perficiam et abjectionem confitere, exemplo illius cujus erat ista vox.

(6) *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce*

---

(1) *Isa.* 45. 15. (2) 2. *Paral.* 6. 18. (3) *Jer.* 2. 11. (4) *Ibid.* 19. (5) *Job.* 26. 11. (6) *Ibid.* 4. 17.

qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem. (1) *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, et coeli non sunt mundi in conspectu ejus: quanto magis abominabilis et inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?*

3. *Ad quid venit?* Ut se tibi totum communicet, et cum ipso (2) maxima et pretiosa donet promissa, ut divinae efficiaris consors naturae, vita illius vivas, ipsi coaduneris, unus fias spiritus et una caro, atque aeternae vitae pignus accipias. (3) *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Qui manducat me et ipse vivet propter me. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.*

Ad tantam Dei erga te stupefactus munificentiam, totus in laudibus et gratiarum actionibus effundaris, ac coelestium spirituum choris qui undequaque altare circumdant, venerandus immiscere, saepius istud Apocalypsis iterando: (4) *Dignus est qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Demum ditioni ejus et imperio totum te consecra, ex intimo pietatis affectu cum Psalmista dicendo. (5) *Nonne Deo subjecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum?*

---

(1) *Ibid. 15. 15.* (2) *2. Pet. 1.* (3) *Joan. 6.* (4) *Apoc. 5. 12.* (5) *Ps. 16. 1.*

FERIA II.

Jesus Rex noster.

1. *Quis venit*? Christus Jesus. (1) *Rex Regum et Dominus Dominantium.* (2) *Qui constitutus est Rex* a Deo *super Sion montem sanctum ejus* : cui Pater *dedit Gentes haereditatem, et possessionem ejus terminos terrae.* Ille Jesus sapientia aeterna Patris (3) cujus sunt *consilium et aequitas, prudentia et fortitudo, divitiae et gloria, opes superbae et justitia,* per quem *Reges regnant, et legum conditores justa decernunt;* per quem *potentes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Rex ille (4) cujus militum non est numerus : nam (5) *millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei.*

Obstupesce igitur, tantam praepotentis hujus Principis demiratus dignationem, qui in pectore tuo tanquam in Regia sua commorari peroptat, et in anima tua, veluti in throno suo, sedere : iisque utere vocibus : (6) *Domine, quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* Quasi vero non sit (7) *homo putredo, et filius hominis vermis.*

2. *Ad quem venit?* Ad servum infidelem (8)

---

(1) *Apoc. 19. 16.* (2) *Ps. 2. 6.* (3) *Prov. 8.* (4) *Job. 25. 3.* (5) *Dan. 7. 10.* (6) *Ps. 8. 5.* (7) *Job. 25. 6.* (8) *Mat. 18. 24.*

qui cum ei decem millia talenta debeat, nihil habet ex quo tanto debito valeat satisfacere. Ad subditum perduellem, qui saepius hanc nefariam emisit rebellionis vocem, (1) *Nolumus hunc regnare super nos*. Ad ingratum, qui multis a Rege suo muneribus actus, multis donis ampliatus, ad hostilia castra frequenter transvolavit; crudele bellum adversus supremum Dominatorem suum machinatus, arma in ipsius defentionem comparata contra ipsum convertit; omnes animae suae facultates, omnia corporis membra et organa, sensusve suos ad peccatum inflectendo.

Ad pedes clementis et benigni Regis tui provolutus, tuam confitere perfidiam; et summum ipsius in te professus dominium, cum Propheta dicito: (2) *Tu es ipse Rex meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob*. Sed et roga eum et obsecra, ut adveniat in te regnum ipsius; nec (3) peccatum regnet amplius in tuo mortali corpore; neve (4) dominetur tui omnis injustitia; sed virtute sua sibi subjiciat quidquid in te suo adversatur imperio, iis utendo vocibus: (5) *Domine, Deus noster, possederunt nos Domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui*; vel istis, (6) *Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus: sicut deficit fumus deficiant*.

---

(1) *Luc.* 19. 14. (2) *Ps.* 43. 5. (3) *Rom.* 6. 12. (4) *Ps.* 118. (5) *Isai.* 26. 13. (6) *Ps.* 67.

3.° *Ad quid venit?* Non ut perfidum administratorem jubeat venumdari, et omnia, quae ipsius sunt, subjiciat servituti: non ut transfugum, compedibus alligatum, cruciandum tradat tortoribus; sed ut vel sui ipsius periculo, solvat eum a captivitate, atque a morte probrosa liberet. Attende et vide (1) *Regem* illum *Salomonem*, *cum diademate* spineo, *quo coronavit eum* Synagoga *mater sua*, *in die desponsationis illius*, *et in die laetitiae cordis ejus*; inspice sceptrum arundineum, chlamydem coccineam, sputa, colaphos, flagella, clavos, crucem, ludibria, et omnis generis tormenta, quorum memoriam in hoc sancto recolis sacrificio. Quid sentis de Deo tuo de Rege tuo? Sic igitur tuas injurias non nisi maximis repensavit beneficiis.

Adde quod et beneficia tanta novis muneribus cumulavit? Non enim te ut servum; sed inter familiares et amicos unanimes ac intimos adscitum, mensae suae te assidere fecit, in qua cibo Angelorum saginaris, et pane pasceris delicias praebente Regibus. Quid plura? Ut fidissimo in opere redemptionis hominum coadjutori, universos gratiae suae tibi concredidit thesauros. (2) *Sic nempe honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* Nonne ergo aequitati consonum, ut tam grandi munere donatus, e corde tuo erumpat ista Psalmistae grati animi

---

(1) *Cant.* 3. 11. (2) *Esth.* 6. 9.

testificatio : (1) *Exaltabo te Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in seculum seculi.* (2) *Quoniam Deus magnus Dominus et Rex magnus super omnes Deos.*

FERIA III.

Jesus Magister noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, qui ut est Deus et Verbum Patris, (3) *lux est vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, et quatenus homo, (4) *datus est testis populis, dux et praeceptor gentibus*: ille est de quo Dominus ad Moysem ait : (5) *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, et loquetur ad eos omnia, quae praecepero illi: qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.*

Promissum istud adimplevit Deus in plenitudine temporum : (6) *multifariam enim multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* (7) *Apparuit*, si quidem, *gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria; sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc seculo.*

(1) *Ps.* 144. (2) *Ps.* 94. 3. (3) *Joan.* 1. 9. (4) *Isa.* 55. 4. (5) *Deut.* 18. (6) *Heb.* 1. (7) *Tit.* 2.

Unde et in monte, dum transfiguraretur Christus, audita est ista vox aeterni Patris: (1) *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

(2) Exulta igitur, et laetare fili Sion, quia, in hoc sanctissimo Sacramento, dedit tibi Deus doctorem justitiae, (3) *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Namque (4) *non faciet a te ultra avolare doctorem tuum, et oculi tui videbunt praeceptorem tuum, et aures tuae audient vocem post tergum monentis: haec est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* Ora ergo eum et obtestare, (5) ut erigat tibi aurem cordis, et audias eum quasi magistrum, atque ex intimo affectu dicito: (6) *Loquere, Domine, quia audivit servus tuus.*

2. *Ad quem venit?* Ad rudem et indocilem discipulum, qui praecepta Domini sui et (7) sanam doctrinam non sustinens, coacervavit sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertit, ad fabulas autem conversus est; qui vocem Christi unius magistri sui despiciens, (8) prophetis prophetantibus mendacium manibus applausit. Quoties enim eloquia sapientiae, et disciplinam Domini Dei tui detrectatus; instigantibus mundo, carni,

---

(1) *Matt.* 17. (2) *Joel.* 2. (3) *Colos.* 2. (4) *Is.* 30. (5) *Ibid.* 50. (6) 1. *Reg.* 3. (7) 2. *Tim.* 4. (8) *Jer.* 5.

sathanae, morem gessisti? Quoties Christo legem suam ad aures tui cordis afflanti, si, non verbo, saltem factis respondisti: (1) *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*: (2) *Durus est sermo* tuus, *et quis potest eum audire*? Nonne iis annumerari posses ad quos spectabat haec Salvatoris exprobratio: (3) *Sermo meus non capit in vobis*; et ista Dei apud Jeremiam objurgatio: (4) *Populo huic factum est cor incredulum, et exasperans, recesserunt et abierunt.*

(5) Verumtamen scito iniquitatem tuam, quia in Dominum tuum praevaricatus es: et dispersisti vias tuas alienis, et vocem meam non audisti: convertere fili revertens, ait Dominus. Ora eum qui docet hominem scientiam, ut det tibi scientiam sanctorum, spiritu intelligentiae repleat te: praebeat servo suo cor docile, fiantque omnes animae tuae facultates a Deo edoctae. Veniam deprecare quod verum tuum aversatus Doctorem, ad Magistros inanes fallacesque deflexeris, dicendo cum Psalmista: (6) *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Denique cum fidelibus Christi Discipulis summum illi studium tuum his verbis profitere; (7) *Domine, ad quem ibimus, verba vitae aeternae habes?*

---

(1) *Job. 21.* (2) *Joan. 6.* (3) *Ibid. 8.* (4) *Jer. 5.* (5) *Ibid. 3.* (6) *Ps. 118.* (7) *Joann. 6.*

3. *Ad quid venit?* (1) *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum;* ad illuminandum *his qui in tenebris et in umbra mortis sedent;* ut scilicet instruaris (2) in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris, et ipsius Christi Jesu, qui est in nobis spes gloriae. Ut doceat te non sapientiam hominum qui destruuntur, (3) *sed Dei sapientiam, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus seculi cognovit.* Ut implearis (4) *in omnem plenitudinem Dei, et possis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi.* Metiri etenim istam Hostiae brevitatem, qua sese exinanivit Deus majestatis, ut tui juris fieret, et perspectas habebis omnes ejus amoris dimensiones.

Verum et agnosce, quae sit supereminens virtus Magistri tui; non enim vox ejus forinsecus tantum corporis auribus insonabit; sed ipse (5) *dabit leges suas in corde tuo, et in mente tua superscribet eas.* Ipse largietur tibi (6) *spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione ejus, et illuminatos oculos cordis, ut scias quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae*

(1) *Luc. 1.* (2) *Colos. 2.* (3) *1. Cor. 2.* (4) *Eph. 3.* (5) *Heb. 8.* (6) *Eph. 1.*

gloriae haereditatis ejus in sanctis. Tantam igitur eximii tui Doctoris demiratus virtutem et sapientiam, cum Regina Saba (ecce enim plusquam Salomon hic) exclama : (1) *Beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam ;* vel cum Psalmista : (2) *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.*

Sedens cum Magdalena secus pedes Domini, ausculta sermones ejus, quoniam veniens evangelizabit tibi pacem. (3) *Audiam*, inquies, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Hactenus viam tam desiderandae pacis non cognovisti, quae in perfecta cupiditatum et pravorum affectuum posita est cohibitione, carnisque et sensuum afflictione : obsecra itaque coelestem tuum Magistrum, ut edoceat te absconditam illam crucis sapientiam ; adeo ut cum Apostolo possis dicere : (4) *Non judicavit me scire aliquid nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum.*

FERIA IV.

Jesus nostrarum Medicus animarum.

Quis venit? Christus Jesus (5) *sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo.* Etenim ab Adami lapsu, omne genus

---

(1) *3. Reg. 10.* (2) *Ps. 93.* (3) *Ps. 84.* (4) *1. Cor. 2.* (5) *Mat. 4.*

humanum, veluti quidam aegrotus jacebat in terra desperato morbo laborans. (1) *Omne caput languidum, et omne cor moerens; a planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas, sed vulnus et livor et plaga tumens, quae non erat circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.*

» Querendus erat medicus, inquit Beatus » Ambrosius, (2) sed quis iste tantus, qui sau- » ciae mentis (humanae) medeatur ulceribus? » Quis homo tantus qui possit aliis subvenire, » cum ipse sibi non possit? Quis aliis posset » vitam reddere, cum ipse mortem non possit » evadere? Omnes enim in Adam moriuntur; » quia (3) *per unum hominem peccatum intra-* » *vit in mundum, et per peccatum mors, et ita* » *in omnes homines mors pertransivit.* Denique » missi sunt sancti, missi sunt Prophetae, qui » oracula divina loquerentur, nec quidquam » promovere potuerunt. Quaeramus ergo ali- » quem de Angelis aut Archangelis medicum; » sed quomodo mihi possunt praesidium ferre » ne peccem, cum ipse Archangelus a pecca- » to non abstinuerit? Qua ratione ad Para- » disum Angelus revocare me poterit, cum » ipse Satanas et Angeli sui sedem quam ac- » ceperant non servaverint? »

Idcirco misit Pater Verbum suum, ut aegrum

---

(1) *Is. 1.* (2) *Comment. in cap. 4. Joan.*
(3) *Rom. 5.*

sanaret, et ipse aeterni Patris Filius magnus de coelo descendit Medicus, viso aegroto (1) quem latrones, seu daemones, despoliatum, et multis plagis impositis semivivum reliquerant, *non pertransivit, sed misericordia motus est, et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum et vinum, et curam illius egit.* Collige ergo et exhortare omnes animae tuae facultates, et superexaltent nomen sanctum ejus; istud Psalmistae iterando: (2) *Benedic anima mea Domino et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus: Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut Aquilae juventus tua.*

2. *Ad quem venit?* Ad aegrotum quem (3) *circumdederunt mala quorum non est numerus.* Namque in corpore mortis hujus circumfers ubique (4) legem membrorum repugnantem legi mentis, et captivantem te in lege peccati: intellectum tuum excaecavit ignorantia; (5) *Animalis* si quidem *homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi et non potest intelligere.* Voluntatem vero inflammavit triplex illa concupiscentia apud B. Joannem recensita; (6) ex qua, veluti e fonte quodam,

---

(1) *Luc. 10.* (2) *Ps. 102.* (3) *Ps. 39.*
(4) *Rom. 7.* (5) *Cor. 2.* (6) *1. Joan. 2.*

scaturiunt et exaestuant omnes animae pravi motus et affectus, qui sicuti febres acutissimae mentem animum sensumque perturbant et excruciant: « febris enim nostra, ait S. Ambro-» sius (1) avaritia est, febris nostra libido est, » febris nostra luxuria est, febris nostra am-» bitio est, febris nostra iracundia est ». Hae omnes utpote febre flagrantiores, animam gravius praecipitant.

At vero, quod deterius est, inquit S. Augustinus, (2) venit ad aegrum qui mentem febribus perdidit, quique eo periculosius aegrotat, quo sanum se esse judicat: venit ad phreneticum, qui et ipsa aegritudine qua mentem perdit, ipsum medicum caedit, vulneravit, excedit. Quaenam igitur digna scelere tuo paena; nonne hanc justam audire comminationem promeruisti? (3) Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam, quoniam pervenit usque ad coelos judicium ejus, et elevatum est usque ad nubes. Verumtamen ne desperes, ubi medicus Deus est, nullus insanabilis morbus ei potest occurrere. (4) *Unxit me Dominus*, ait ille, *ut mederer contritis corde:* confitere ergo peccatum tuum, et ipsius misericordiam his Psalmistae verbis deposce: (5) *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quoniam conturbata sunt*

---

(1) *Comm. in cap. 4. Joan.* (2) *Ser. 175.* (3) *Jer. 51.* (4) *Is. 61.* (5) *Ps. 6.*

ossa mea, et anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, usquequo? (1) *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Ad quid venit? Non ut (2) tolleret massam de ficis, sicut Isaias, et cataplasmaret super vulnus tuum et sanaretur; sed ut (3) de ipso sanguine suo aegrotis medicamenta faceret, namque (4) *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum et livore ejus sanati sumus.* Christus enim, inquit S. Augustinus, (5) « etiam cum occi-« deretur medicus erat; vapulabat et curabat, « patiebatur phreneticum, nec deserebat aegro-« tum; tenebatur, alligabatur, colaphis per-« cutiebatur, arundine plagas accipiebat, irri-« debatur, insultabatur ei, postremo audieba-« tur, damnabatur, ligno suspendebatur, un-« dique circumferebatur et medicus erat. Vis « illum, inter tot opprobria et supplicia, me-» dicum agnoscere? Audi ista verba: (6) *Pa-» ter dimitte illis non enim sciunt quid faciunt.* « (peccatores) perdita mente seviebant, et « medici sanguinem saeviendo fundebant. . . « verum quando Dominus sanguinem fundebat; « ipsam suam mortem, ad medicamenti con-« fectionem impendebat. »

---

(1) *Ps.* 40. (2) *Is.* 38. (3) *S. Aug. Sap.* (4) *Is.* 53. (5) *Sap.* (6) *Luc.* 23.

Cum igitur in hoc sanctissimo Sacramento, tam efficax, tam praesens remedium praesto sit tibi, omnibus etiam desperatissimis vulneribus curandis sufficientissimum: (1) *Quare non est obducta cicatrix tua*? Non medicamenti sed aegrotantis vitio? *Vis sanus fieri*? (2) *da locum medico tuo* coelesti, *et non discedat a te*, *quia opera ejus tibi sunt necessaria*. Expone illi omnes animae tuae morbos, omnia vulnera. Dicito cum Lazari sororibus: (3) *Domine*, *ecce quem amas infirmatur*, vel cum Propheta: (4) *Sana me*, *Domine*, *et sanabor*, *salvum me fac et salvus ero*: verum et tu noli poculum recusare, ait S. Augustinus; (5) » Sanari non potes nisi amarum calicem bibe-« ris, calicem tentationum, quibus abundat » haec vita, calicem tribulationum, angustia-« rum, passionum. Bibe inquit medicus, bi-« be ut vivas; et ne responderet ei langui-« dus, non possum, non fero, non bibo: pri-» or bibit medicus sanus, ut bibere non du-» bitaret aegrotus. » Ne ergo manum ejus repellas, etiam si amputare voluerit et exurere; sed cum eodem S. Doctore clames: *Hic ure*, *hic seca*, *modo parcas*, *et in aeternum parcas*.

---

(1) *Jer. 8.* (2) *Eccli. 38.* (3) *Jer. 17.*
(4) *Jer. 88.* (5) *1. Pet. 2.*

FERIA V.

Jesus Pastor noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus Pastor et Episcopus animarum nostrarum ad quem conversi sumus: (1) *omnes* enim *nos quasi oves* aliquando *erravimus; unusquisque in viam suam declinavit.* Ecce ait Dominus Deus, (2) *dispersae sunt oves meae, eo quod non sit eis Pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri; erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso; super omnem faciem terrae dispersi sunt*, et non est qui requirat. Propterea *suscitabo super oves meas Pastorem unum, qui pascat eas, et erit eis in Pastorem.* (3) Ille *sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, foetas ipse portabit.* Venit itaque Christus Patris sui mandatis obtemperans. (4) Requisivit oves suas, et visitavit eas, liberavitque de omnibus locis in quibus dispersae fuerant in die noctis et caliginis, requiescere eas fecit in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pavit eas super montes Israel.

(5) *Exultemus* igitur *Domino et jubilemus Deo salutari nostro, nos enim populus ejus, et oves pascuae ejus;* (6) quia *per viscera mi-*

---

(1) *Is.* 53. (2) *Ezech.* 14. (3) *Is.* 40. (4) *Ezech. sup.* (5) *Ps.* 94. (6) *Luc.* 1.

sericordiae suae, visitavit non oriens ex alto. Verum et superexaltemus infinitam tanti Pastoris charitatem, qui in hoc sanctissimo sacramento, ipse nostra fieri pascua non dedignatur (1) « Quis Pastor, inquit S. Chrisosto- « mus, oves proprio pascit cruore? Et quid « dico pastor? Matres multae sunt, quae post « partus dolores, filios tradunt aliis nutricibus : « hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos « proprio sanguine pascit, et per omnia sibi » coagmentat. » Ineffabilem ergo tanti Pastoris amorem, amore summò repensans, pro tam admirabili illius erga te münificentia ipsi gratulare, cum Psalmista dicendo : (2) *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae, ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

2. *Ad quem venit?* Forsitan ad lupum ovina pelle circumvestitum, qui gregem Domini depopulatus, quod crassum est, occidit, dum lanis ovium operiretur. (3) Ad Pastorem et Idolum, qui derelicta non visitavit, dispersum non quaesivit, non sanavit contritum, quod stabat non enutrivit, carnes comedit pinguium, ungulas earum dissolvit. Saltem ad ovem venit fugitivam, quae ad caulas Domini Pastoris hujus boni humeris saepius reportata, rursus ovile ejus deseruit, sollicitudinem illius fefellit, et patientiam ipsius molestis defatigavit laboribus. Venit

(1) *Hom. 88. in Matt.* (2) *Ps. 22.* (3) *Zach. 11.*

ad ovem regiminis impatientem, quae nulla ovis fidelis munia exsecuta est.

Ausculta etenim Christum Pastorem tuum et confundere. *Ego* inquit, (1) *cognosco meas, et cognoscunt me meae, oves meae vocem meam audiunt, et sequuntur me.* Tu vero, nedum hujusmodi partes adimpleveris, imo, cum hoste gregis ipsius infestissimo, operibus tuis multoties clamitasti : (2) *Nescio dominum : et qui est Dominus, ut audiam vocem ejus?* (3) Vocavit te et renuisti, extendit manum suam nec dignatus es aspicere : despexisti omne consilium ejus, et increpationes illius neglexisti. Quoties, crucem veluti pedum pastorale suum elevans, ad quod congregat oves electas, inclamat in evangelio : (4) *Si quis vult venire post me abneget semetipsum : tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* Tu è contra coelestem hanc vocem aspernatus et concupiscentiis falsis, omnibusque carnis illecebris obsecutus ; in vitiorum et flagitiorum ima proruisti.

Quanto igitur supremus Pastor gregem suum ultimo judicii die visitaturus est, unicuique prout gessit, sive bonum sive malum, redditurus ; ex qua parte consistere promereberis ; an a dextra cum ovibus et electis, an a sinistra cum hoedis et reprobis? Age ergo, dum tempus est, omnes tuas arecto tramite aberra-

(1) *Joan.* 10. (2) *Exod.* 5. (3) *Prov.* 1. (4) *Matt.* 16.

tiones detestatus, supplex boni tui Pastoris auxilium et miserationem implora, quia (1) *benignus et misericors est et praestabilis super malitia*; iisque poenitentis utere vocibus: (2) *Erravit sicut ovis quae periit, quaere servum tuum.* (3) *Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me; ad defensionem meam conspice. Erue a framea Deus animam meam et de manu canis unicam meam; salva me ex ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam.*

Ad quid venit? Ut boni erga nos pastoris officio fungatur: omnes enim, quotquot ante ipsum venerant pastores, paucis exceptis, (4) fures erant et latrones; id unum intendebant, ut gregem Domini mactarent et occiderent; mercenariorum more, propriis suis inhiabant commodis, seipsos solummodo pascebant, ovibus Dei fovendis et enutriendis parum intenti. Non ita vero Christus Jesus; (5) *Venit enim filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* (6) *Ego*, inquit, *veni ut vitam habeant oves, et abundantius habeant. Ego sum Pastor bonus.* O sapidum et suave verbum! Recogita coelestem illum Pastorem omnes Judaeae civitates, omnia castella, non sine molestis laboribus et sudoribus peragrantem, ut oves domus Israel dispersas congregaret: attende quali misericordia Samaritanam praevenit, quanta

(1) *Joel* 2. (2) *Ps.* 118. (3) *Ps.* 21.
(4) *Jo* 10. (5) *Luc.* 19. (6) *Joan.* 10.

forte, custodiat: adeo ut istud in te, et in omnibus fidelibus adimpleatur boni hujus Pastoris promissum, (1) *oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Deprecare etiam pro universis ab Ecclesiae sinu avulsis, ut ad unitatem catholicam revocati, *fiat unum ovile, et unus Pastor;* et omnes unanimes, idem sapientes, uno ore honorificemus Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

FERIA VI.

Jesus Redemptor noster.

1. *Quis venit?* Christus Jesus, (2) *unus mediator Dei et hominum, qui dedit semetipsum redemptiomem pro omnibus.* Enim vero (3) iniquitates nostrae diviserant inter nos et Deum nostrum, et peccata nostra faciem ejus a nobis absconderant, ne exaudiret. (4) Cum igitur omnes mortui essemus delictis nostris . . . *eramus pariter omnes natura filii irae*, filii vindictae, filii poenae, (5) *vasa apta per interitum.* Nobis itaque Redemptore opus erat et mediatore, qui nos a tam funesta liberaret maledictione. Verum quis ille tantus, qui pec-

(1) *Joan. Sup.* (2) *1. Tim.* 2. (3) *Is.* 59.
(4) *Eph.* 2. (5) *Rom.* 9.

cata nostra, exitiosum hunc inter Deum et hominem divisionis parietem, dissolvat, et cum Deo nos reconciliet? Non aliquis ex Patriarchis et Prophetis, non Moises ipse; omnes enim peccaverunt et redemptione indigent; lex vero per Moysem promulgata, (1) umbram duntaxat habens futurum bonorum, (2) ad nihil perfectum ex se adducebat, et melioris spei erat tantum introductio.

Reprobatione igitur facta praecedentis hujus mandati propter infirmitatem illius et inutilitatem, (3) volens Deus ostendere in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos; et propter nimiam charitatem suam qua nos dilexit (4) *proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ingrediens itaque mundum Jesus, praestantioris testamenti sponsor factus, Patri suo ait, (5) *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi ecce venio:* Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, *et delens* (6) *chirographum decreti quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, expoliansque principatus et potestates*, a quibus captivi tenebamur, *traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

---

(1) *Hebr. 10.* (2) *Ibid. 7.* (3) *Eph. 2.* (4) *Rom. 8.* (5) *Heb. 10.* (6) *Col. 2.*

(1) Consurge ergo, solve vincula colli tui captiva filia Sion: quia ecce venit tibi salvator noster (2) Spiritus Domini super me, inquit, eo quod unxerit me, et miserit me; ut praedicarem captivis indulgentiam et clausis apertionem. Ad tantam Dei erga te obstupescens benignitatem, exclama: (3) *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.* (4) *Dilexit me* Christus *et tradidit semetipsum pro me;* freqnenterque istud usurpa justi Zachariae Canticum. (5) *Benedictus dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, etc.*

2. *Ad quem venit?* Ad nefarium peccati servum, qui diaboli laqueis aliquando irretitus, (6) captivus ab eo tenebatur ac ipsius voluntatem. (7) Ambulasti etenim secundum consuetudinem perversi hujus seculi, et secundum principem potestatum aeris hujus, spiritum nequitiae, qui in diffidentiae filios operatur; conversatus igitur in desideriis carnis peccati et instabilium cogitationum tuarum, quam bene te deceret humilis ista Beati Pauli confessio! (8) *Ego carnalis sum venundatus sub peccato.* Numquid ignoras, (9) quoniam cui teipsum exhibuisti servum ad obediendum, servus fa-

(1) *Is.* 52. (2) *Ibid.* 61. (3) *Jo.* 3.
(4) *Gal.* 2. (5) *Luc.* 1. (6) 2. *Tim.* 2.
(7) *Eph.* 2. (8) *Rom.* 7. (9) *Ibid.* 6.

ctus es hujus cui obedisti, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam; atque adeo cum peccato morem gesseris, et ab ipso fueris superatus, servum hujus te profiteri necesse est?

Illud tamen tui sceleris auget atrocitatem quod, supremi Numinis donis male usus, pretium ad redemptionem tuam impensum, in salvatoris contumeliam et in tui ipsius perniciem dissipaveris. Quaenam enim utilitas in Christi sanguine, qui Sacramentorum canalibus pro te et per te tam large et copiose diffunditur? (1) Si irritam quis faciens legem Moysis sine ulla miseratione moritur; quando tu deteriora mereris supplicia, qui Filium Dei saepius conculcasti, et sanguinem testamenti in quo sanctificatus es pollutum duxisti; en sanguis ille adversum te dicit testimonium, clamat enim ad deum de Altari, et melius loquitur quam Abel.

In tanto versatus periculo ad quem confugies, nisi ad eumdem Redemptorem Jesum Christum? (2) *Non enim in alio aliquo est salus; neque aliud nomen sub coelo datum est hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri.* Ne ergo te deterreat peccatorum tuorum immanitas et a recta in illum fiducia te disturbet; quoniam (3) si peccaverimus, ipsum habemus

---

(1) *Heb*: *10*. (2) *Act*. *4*. (3) *1*. *Jo*. *2*.

advocatum apud Patrem, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Ora eum, ut Redemptoris tui partes semper sustineat. Dicendo cum Psalm. *Redime me, Domine, et miserere mei: Tuus sum ego salvum me fac:* vel cum S. August. *Ecce in manibus tuis, bone Jesu, descripsisti me, lege scripturam tuam et salva me.*

3. *Ad quid venit?* (1) *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* (2) *Ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum;* (3) *et essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate* radicati et fundati. Itaque non ab omni nos Christus eximit jugo, sed (4) liberati a peccato per mortem ipsius, servi facti sumus justitiae; servi facti sumus Deo, cui servire, regnare est. Funes igitur ceciderunt tibi in preclaris. Oh quam dispar utraque servitus! (5) Cum enim servus esses peccati, liber equidem eras justitiae; at vero quem fructum habuisti ex operibus hujuscemodi libertatis in quibus nunc erubescis? Nam finis illorum mors est: nunc autem liberatus a peccato, servus autem factus Deo, habes fructum tuum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam.

---

(1) *Luc. 1.* (2) *Tit. 2.* (3) *Eph. 1.*
(4) *Rom. 6.* (5) *Ibid.*

Æquum est ergo, ut hoc idem quod et Christus sentias, et quae bene de te speravit, opitulante ipsius gratia, perficere coneris. (1) Induere igitur Dominum Jesum-Christum, et curam carnis ne feceris in desideriis, (2) sed sicut exibuisti membra tua servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibe illa servire justitiae in sanctificationem: adeo ut (3) adimplens quae desunt passionum Christi in carne tua, et (4) mortificationem ejus in corpore tuo manifestetur.

Verum aemulare charismata adhuc meliora, excellentior enim via tibi demonstratur: nempe (5) *mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est*, (6) empti enim et redempti sumus pretio magno, (7) *non corruptibilibus auro vel argento . . . . sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* (8) Vive ergo in fide Filii Dei, qui dilexit te, et tradidit semetipsum pro te; eique ita firmiter adhaereas, ut cum Apostolo valeas dicere: (9) *Quis nos separabit a charitate Christi? An angustia? An fames? An nuditas?. . In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos; certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus*

(1) *Rom. 13.* (2) *Ibid. 6.* (3) *Colos. 1.* (4) *2. Cor. 4.* (5) *Ibid. 5.* (6) *1. Cor. 6.* (7) *1. Pet 1.* (8) *Gal. 2.* (9) *Rom. 8.*

. . . *neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro* (1) *Et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem; mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.*

SABATO.

Jesus Sacerdos et victima.

1. *Quis venit?* Christus Jesus (2) *Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* qui cum sit (3) *assistens et Pontifex futurorum bonorum*, non per tabernaculum *manufactum, et hujus creationis*, sicuti veteris legis Pontifices; *sed per amplius et perfectius tabernaculum*, (4) *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* per carnem videlicet suam, in utero beatissimae Virginis, operante Spiritu sancto formatam; (5) *neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta*, aeternae redemptionis author nobis factus et mediator.

Quam praecellens ille sit, quantisve dotibus cumulatus, disce ex eodem Apostolo: (6) *Talis decebat*, inquit, *ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelltior coelis factus, qui*

---

(1) *Philip. 1.* (2) *Ps. 109.* (3) *Heb. 9.* (4) *Colos. 2.* (5) *Heb. sup.* (6) *Heb. 7.*

non habet necessitatem quotidie, quemadmodum alii Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; sed qui semel seipsum offerendo, universa nostra expiavit delicta.

Ausculta et eundem Gentium Doctorem utriusque legis Sacerdotium et sacrificia, ut par est, aestimantem: in antiqua scilicet, (1) Sacerdos praesto erat quotidie ministrans, et easdem saepe hostias offerens, quae numquam poterant auferre peccata; in nova vero *Christus una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* (2) Ibi sanguis victimarum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis; hic, (3) *Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* In lege veteri (4) plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; at vero (5) *Jesus eo quod manet in aeternum sempiternum habet Sacerdotium.*

Recogita ergo quali te honore Christus ampliaverit, quem ad Sacerdotium suum adsciscere non est dedignatus: de tua tibi abiectione conscios, exclama cum Psalm. (6) *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat . . . suscitans a terra inopem et de stercore elevans pauperem, ut collocet eum cum principibus cum*

---

(1) *Heb.* 10. (2) *Ibid.* 9. (3) *Ibid.* (4) *Ibid.* 7. (5) *Ibid.* (6) *Ps.* 112.

principibus populi sui? (1) Habens tamen fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine ejusdem Christi, accede *cum vero corde*, *emundatus a conscientia mala*, *in plenitudine fidei.*

2. *Ad quem venit?* Forsan ad Sacerdotem, qui Dominum Deum suum multoties aspernatus, (2) obtulit super altare illius panem pollutum, dicendo, saltem operibus, *mensa Domini despecta est*, *mensa Domini contaminata est*, *et donum quod superimponitur contemptibile*, « Polluimus enim, inquit S. Hieronymus, (3) panem, id est, Corpus Christi, » quando indigni accedimus ad Altare, et sordidi cum simus, non veremur mundissimum » corpus sumere, et sanguinem bibere: tunc » enim factis dicimus: Mensa Domini despecta est ».

Quoties heu frumento electorum, et vino virgines germinante (4) incrassatus, impinguatus, dilatatus a Deo salutari tuo recessisti, et in diis alienis eum provocasti, daemoniis et non Deo cor tuum immolans?

Ad te igitur spectat ista Domini apud Prophetam increpatio: (5) *Sacerdotes mei contempserunt legem meam*, *et polluerunt sanctuaria mea*, *inter sanctum et prophanum non habuerunt distantiam*, *et inter pollutum et mundum non intellexerunt;* coinquinabar in medio

(1) *Heb.* *10.* (2) *Malach.* *1.* (3) *Comm. in Mal.* (4) *Deut.* *32.* (5) *Ezech.* *22.*

eorum. Gravis proinde illa tibi impendet Christi ad persecutores suos comminatio: (1) *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum . . . Quoniam super dolorem vulnerum meorum addiderunt: oppone iniquitatem super iniquitatem eorum et non intrent in justitiam tuam: deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Imminet tibi et istud quo percussus est Judas proditor terribile anathema: (2) *Induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus; fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper praecingitur.*

Nunc vero ad quem confugies? Nisi ad eundem (3) *Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei?* Adeas ergo cum fiducia ad thronum istum gratiae, ut misericordiam consequaris, et gratiam invenias in auxilio opportuno. *Neque enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque pecca'o:* (4) *in eo autem in quo passus est et tentatus, potens est et ejus qui tentantur auxiliari*, et omnia populi delicta repropitiare.

3. *Ad quid venit?* (5) *Ut fiat omnibus sibi obtemperantibus causa salutis aeternae:* si enim *in diebus carnis suae, preces supplicationes que*

---

(1) *Ps. 68.* (2) *Ps. 108.* (3) *Heb. 10.*
(4) *Ibid. 2.* (5) *Ibid. 5.*

Deo Patri *cum clamore valido et lacrymis offerens*, *exauditus est pro sua reverentia;* quanto magis nunc consummatus in gloria sua, *et semper vivens ad interpellandum pro nobis*, *salvare in perpetuum poterit accedentes per semetipsum ad Deum?* Ut autem aeterna illa fruaris beatitudine, necesse est (1) ut sicut Christus didicit ex iis quae passus est obedientiam, discas pariter et ut ipse Deo obtemperare.

Neque enim eo duntaxat consilio venit ad te (2) *Apostolus et Pontifex confessionis nostrae Jesus*, (3) *ut seipsum tradat hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis:* verum ut una etiam cum ipso (4) te exhibeas hostiam viventem sanctam, Deo placentem, et probando quae sit voluntas supremi hujus numinis bona, beneplacens et perfecta, rationabile illi praestes obsequium.

Enimvero mente sequere aeternum Sacerdotem nostrum, a primo peregrinationis suae exordio, ad extremum usque vitae suae spiritum; exultavit ille ut gigas ad currendam Dei mandatorum viam. (5) Ingrediens videlicet mundum, his Patrem suum verbis affatur: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam, Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Dum oves Domus Israel dispersas quaereret, regnum Dei annun-

---

(1) *Ibid. 5.* (2) *Ibid. 3.* (3) *Ephes. 5.*
(4) *Rom. 12.* (5) *Heb. 10.*

tiando: (1) *Ego*, inquit, *cibum habeo manducare quem vos nescitis: meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris, et ut perficiam opus ejus.* Denique in cruce pendens perdidit vitam ne perderet obedientiam, (2) *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hoc est perpetuum quod de seipso obtulit holocaustum.

Itaque ut schisma, hac in parte, non sit inter caput et membra mystici ejus corporis; debes sicut ille ambulavit et ipse ambulare; quae Deo placita sunt semper facere; in ea vocatione in qua vocatus es permanere; nullum aliud munus ambire quam illud ad quod fueris destinatus, et bona et mala de manu ipsius aequanimiter suscipere. Quo pacto, victimam quam saepius tractas imitaberis, et cum fidelibus ejus discipulis licebit dicere: (3) *Propter te, Domine, mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* Demum et ista Psalmistae verba fidenter proferes: (4) *Introibo, Domine, in domum tuam in holocaustis.*

---

(1) *Joan.* 4. (2) *Philip.* 2. (3) *Rom.* 8. (4) *Ps.* 65.

ORATIO S. AMBROSII ANTE MISSAM

Per singulos Hebdomadae dies distributa.

Die Dominica.

Summe Sacerdos, et vere Pontifex, Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in Ara crucis pro nobis miseris peccatoribus, quique dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et Sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium illud in virtute Spiritus sancti, dicens: *Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* Rogo per eumdem Sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium: rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo. Doce me servum tuum indignum, quem inter caetera dona tua, ad officium Sacerdotale vocare dignatus es, nullis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae; doce me, quaeso, per Spiritum Sanctum tuum, tantum mysterium tractare ea reverentia et honore, eaque devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me, Domine Jesu Christe, per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine stre-

pitu verborum loquatur omnem veritatem tantorum mysteriorum. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia, atque fortissima tutela, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui repelle a me, Domine Jesu Christe, et a cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiae et blasphemiae. Confundantur qui nos persequuntur: pereant illi qui nos perdere festinant.

Feria secunda.

Rex Virginum, et amator castitatis et integritatis, coelesti rore benedictionis tuae extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis animae et corporis. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinis commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem, cum caeteris donis tuis, quae tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim, Domine Iesu Christe, cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animae puritate illud divinum et coeleste sacrificium est cele-

brandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur: ubi summis ima, terrena divinis junguntur: ubi adest praesentia sanctorum Angelorum: ubi tu es Sacerdos, et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter constitutus?

Feria tertia.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio et vere scio, et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas: Sed scio, et veraciter credo ex toto corde, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori hoc coeleste sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate, et lacrymarum fonte, cum laetitia spirituali et coelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

Ego enim, Domine, memor venerandae passionis tuae, accedo ad altare tuum, licet peccatorum, ut offeram tibi sacrificium quod tu instituisti, et offerri praecepisti in commemo-

rationem tui pro salute nostra. Suspice istud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro cuncto populo tuo quem acquisisti pretioso sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus salutaris, dignatus es esse redemptio. Profero etiam, Domine, si digneris propitius intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria quinta.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quae fecisti. Memorare quae sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas; non enim in justificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis, Domine, iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum quod te amet, te diligat, te

delectetur, te sequatur, et te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia praestolantem, aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio; tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius et exaudire delecteris.

Feria sexta.

Rogamus etiam te, sancte Pater, pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium sempiternum, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine, Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te Pane vivo, qui de coelo descendisti, et dans vitam mundo, de carne tua sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi, quae de sancto et glorioso beatae Virginis Mariae utero est assumpta, et de Spiritu sancto concepta, ac de illo pietatis fonte qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit; ut exinde refrigerati ei consolati exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis, et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me in-

dignum Sacerdotem doceat tantum tractare misterium cum cordis puritate, et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore; ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis, ad salutem omnium tam virorum, quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo te etiam, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius tuae summae divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam; ita ut haec coelestia sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis, comedat te cor meum; et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno; manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, Pa-

nis vive, panis munde, qui descendisti de coelo et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et perpetua salus corporis et animae meae. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae; ut foris et intus per te munitus, recto tramite perveniam ad tuum regnum: ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris nos regnum Deo Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA.

Ant. Ne reminiscaris, etc. *In duplicibus tantum duplicatur, et pariter ante Missas quae ritu duplici celebrantur, (hoc est) cum unica Oratione; sive sit votiva pro re gravi, sive pro defunctis (quamquam pro defunctis omitti possunt Antiphona et Psalmi) et tempore Paschali additur*, Alleluia.

Psal. 83. Quam dilecta, *ad completorum Officii parvi, infra.*

PSALMUS 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus, salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? Aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri. etc. Sicut erat etc.

PSALMUS 85.

Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: servum fac servum tuum Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine, Deus miserator et misericors: patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me et miserere mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu, Domine, adiuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

PSALMUS 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel : ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri etc.

Deinde repetitur Antiphona, Ne reminiscaris, Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum : neque vindictam sumas de peccatis nostris. *Tempore Paschali additur*, Alleluja.

Postea Sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi, Domine, miserere mei.

℟. Sana animam meam quia peccavi tibi.

℣. Convertere, Domine, aliquantulum.

℟. Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et Sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me, Domine.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti-Spiritus illumina cor nostrum; ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti-Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paracletus qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus, Domine, virtus Spiritus-Sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus qui corda Fidelium Sancti-Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscentias nostras, quaesumus, Domine, visitando purifica; ut veniens Dominus noster Jesus-Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum.

Amen.

FORMA INTENTIONIS.

Ad laudem et gloriam sanctitsimae Trinitatis, in memoriam Salvatoris nostri JESU CHRISTI Vitae, Passionis, Mortis, Resurrectionis, ac in operum et meritorum suorum, omniumque Sanctorum unionem. Ad laudem quoque et exaltationem beatissimae Virginis MARIAE, Coelestium Angelorum, Sanctorum, atque Sanctarum, et signanter NN. et aliorum Sanctorum. Offero etiam cum ipsorum beatorum Spirituum laudibus, Sanctorumque omnium precibus et meritis, nunc, et semper, hoc, et omnia alia sacrificia, officia, orationes, et bona opera totius mundi, pro meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus, in auxilium et consolationem meam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo, conor et cupio, omniumque vivorum, et defunctorum meorum parentum et consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus, ac illorum quibus fui gravamen, scandalum, occa-

sio peccandi. Pro omni gradu sanctae Catholicae Ecclesiae, ac illius conservatione, augmento, et exaltatione, Christianorum Principum unione, haereseon extirpatione, Summi Pontificis salute, Regis nostri Christianissimi incolumitate, et animarum in Purgatorio existentium liberatione. Pro conservatione et augmento omnium religionum. Pro conversione omnium Infidelium. Pro mihi commisis et commendatis. Denique pro illis omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster J. C. et ejus Mater sciunt et volunt me debere orare et sacrificare; sic oro, obsecro, ac orare, obsecrare, sacrificare intendo, ac propono; ac juxta intentionem sanctae Chatholicae Ecclesiae, ego N. Minister licet indignus. In nomine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Pater. Ave, etc.

Gregorius XIII. Pontifex Maximus, concessit cuilibet celebranti Missam, et dicenti quae sequuntur, quinquaginta annorum indulgentiam.

Ego volo Missam celebrare, et conficere Corpus et Sanguinem Domini JESU CHRISTI, juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque Curiae triumphantis; ad utilitatem meam, totiusque Curiae militantis; pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere et specie, et pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem Sancti-Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Alia sancti Ambrosii ante Missam oratio.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine IESU CHRISTE, ego peccator de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor, et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas! o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus; sub tuam protectionem fugio, et quem Judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine IESU CHRISTE, Rex aeterne, Deus et Homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris Victima, pro me, et omni humano genere in patibulo Crucis

oblata. Salve, nobilis et praetiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei IESU CHRISTI profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo Sanguine redemisti. Poenitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer a me, quaeso, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea; ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum; et concede, ut sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Oratio ad beatam Virginem Mariam ante celebrationem Missae.

O mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor dulcissimam pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in Cruce pendenti astitisti; ita et mihi misero Sacerdoti et Sacerdotibus omnibus, hic, et in tota Sancta Ecclesia ipsum hodie offerentibus, clementer assistere digneris (ut tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Ad Sanctum, vel Sanctam, cujus eo die Festum celebratur, Oratio.

O sancte N. (vel Sancta N.) ecce ego miser peccator de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri IESU CHRISTI pro tuo honore et gloria; precor te humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum Sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, et eum tecum, et cum omnibus electis ejus, aeternaliter laudare, et cum eo regnare valeam. Amen.

Beda, de venerabili Eucharistiae Sacramento.

Sacerdos non legitime impeditus, celebrare omittens, quantum in eo est, 1. Privat Sanctam Trinitatem laude et gloria. 2. Angelos laetitia. 3. Peccatores venia. 4. Justos subsidio et gratia. 5. In Purgatorio existentes refrigerio. 6. Ecclesiam spirituali Christi beneficio. 7. Et seipsum medicina et remedio.

GRATIARUM ACTIONES POST MISSAM.

ANT. Trium puerorum. *In Duplicibus dicitur integra, ut infra.*

Canticum trium Puerorum. DAN. 3.

Benedicite omnia opera Domini, Domino: laudate et superexaltate eum in secula.

Benedicite, Angeli Domini, Domino: benedicite, coeli, Domino.

Benedicite, aquae omnes quae super coelos sunt, Domino: benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Bonedicite, sol et luna, Domino: Benedicite, stellae coeli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino: benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et aestus, Domino: benedicite, frigus et aestus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino: benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite glacies et nives, Domino: benedicite noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebrae Domino: benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in secula.

Benedicite, montes, et colles, Domino: benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino: benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete et omnia quae moventur in aquis, Domino: benedicite, omnes volucres coeli, Domino.

Benedicite, omnes bestiae et pecora, Domino: benedicite, filii homnium, Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superaxaltet eum in secula.

Benedicite, Sacerdotes Domini, Domino:

benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animae justorum, Domino: benedicite, sancti et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino: laudate et superexaltate eum in secula.

Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in secula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, et laudabilis, et gloriosus et superexaltatus in secula.

PSALMUS 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Gloria Patri etc.

Ant. Trium Puerorum cantemus Hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis benedicentes Domino.

Tempore Paschali additur. Alleluja.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni, et adiuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio Sancti Thomae Aquinatis.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi; et precor, ut haec sancta Communio non sit mihi reatus ad poenam; sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium firma defensio: motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium, me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio dicenda post Missam.

Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, mundique Redemptor, me famu-

lum tuum ante majestatem tuam prostratum benignissime respice, et sacrificium quod in honore nominis tui, pro salute fidelium tam vivorum, quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe; iram tuam a me remove; gratiam et misericordiam mihi concede; januam Paradisi mihi pande; ab omnibus malis me potenter eripe, et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Et sic in hoc seculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus Electorum gregi copulari efficiar: te prestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in secula seculorum. Amen.

RYTMNUS S. THOMAE

Ad Sacram Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur;
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas;
At hic latet simul et Humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor:

Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam præstans homini;
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere,
Totum mundum queit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud quod tam sitio:
Ut re revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Oratio ad Dei Filium.

Anima Christi sanctissima, sanctifica me; Corpus Christi Sacratissimum, salva me: Sanguis Christi pretiosissime, inebria me: aqua lateris Christi purissima, munda me: sudor vultus Christi virtuosissime, sana me: passio Christi piissima conforta me. O bone Jesu, custodi me: Intra vulnera tua absconde me: Non permittas me separari a te: Ab hoste maligno defende me: Jube me venire ad te, et pone me juxta te: ut cum Angelis et Archangelis tuis laudem te, per infinita secula seculorum. Amen.

Obsecro te, mitissime et bone Jesu, ut haec immortalis Hostia pro me tibi gratias referat, me tibi reconciliet, me tibi restituat; mihi peccatori veniam tribuat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

O dulcedo cordis mei, et vita animae meae, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu. Immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signanter vero, quia hodie me dignum fecisti verum et immaculatum Corpus et Sanguinem tuum pretiosum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam, et in remissionem omnium peccatorum tam meorum, quam illorum pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo: Cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo, et quotiescumque respiro, multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus; precorque beatissimam Virginem, Angelos, Sanctos, Sanctas, et Creaturas universas, pro me immensas tibi referre gratias. Immo quia ista minime sufficiunt, te supplico, ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas: et quia dignatus es istam indignam, tuam tamen facere habitatio-

nem, dignare quoque apud ipsas perpetuam facere mantionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni me tibi intime, et totum transforma, et transmuta in te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam per innocentissimam tuam passionem. Oro itidem ut digneris gratias et indulgentias omnes, quas hoc sacrificio, vel communione mediante acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi, quam aliis vivis et defunctis, quibus applicare proposui: quia teipsum pro ipsis exoro, pro quibus et tu vis, et sanctissimus Pontifiex intendit hac de causa me debere orare. Amen.

Pater noster etc. Ave etc.

ALIA ORATIO POST MISSAM.

Gratias ago tibi, omnipotens et misericors Deus, gratiarum actiones tremendae majestati tuae, piissime et immense Pater, habeo, quia me indignissimum et nefandissimum peccatorem, pretioso corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi, consolari et satiare dignatus es. Quaeso igitur, dulcissime, Domine Jesu, ut haec sancta communio non sit mihi ad judicium et condemnationem; sed, tua gratia et pietate, sit mihi suavitas et dulcedo, animae meae salus et sanctitas, in omni tentatione pax et gaudium, in omni tribulatione lumen et virtus, in omni verbo et opere solatium, et tutela finalis in morte, ad

evadendas omnium inimicorum meorum insidias; et proficiat mihi ad salutem corporis et animae in vitam aeternam: et praesta, ut ibi nulla remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Precatiuncla Sacerdotibus quotidie legenda, ut in dies Deo ferventius deserviant. Ex Thom. a Kemp. de Imit. Christi.

Adiuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut qui officium Sacerdotale suscepimus, digne et devote tibi cum omni puritate et in conscentia bona famulari valeamus.

Etsi non possumus in tanta innocentia vitae conversari ut debemus, concede nobis tam digne flere mala quae gessimus, ut in spiritu humilitatis, ac bonae vcluntatis proposito, tibi ferventius deservire valeamus.

Oratio ad Beatissimam Virginem Mariam.

O serenissima et inclyta Mater Domini nostri Jesu, Christi Virgo Maria, Regina mundi, quae eumdem Creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum Corpus et Sanguinem sumpsi ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut quidquid in hoc ineffabili sacramento ignoranter, negligen-

ter, irreverenter, et accidentaliter omisi, tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur. Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Alia oratio Sancti Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate, ut langueat et lique fiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat, et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi et esse tecum. Da ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, super substantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis: te in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui replcantur viscera animae meae, te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scentiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat; te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem, et tu sis solus semper spes mea, jucunditas mea, gaudium

meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, potio mea, et possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

Pii affectus, ex aureo de imitatione Christi libello excerpti, ante et post Missam pro opportunitate Sacerdotis eliciendi.

§. I. Pii affectus ante Missam.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, dicit Dominus. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Accipite, et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo.*

1. Haec sunt verba tua, Christe, veritas aeterna. Quia ergo tua sunt, gratanter mihi, et fideliter sunt accipienda . . . excitant me verba tantae pietatis, plena dulcedinis, et dilectionis. Sed terrent me delicta propria; et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscentia mea . . . jubes, ut fiducialiter ad te accedam, si tecum velim habere partem; ut immortalitatis accipiam alimoniam, si aeternam cupiam obtinere vitam et gloriam.

Venite, inquis, *ad me*, *omnes qui laboratis et onorati estis; et ego reficiam vos.* O dulce et amicabile verbum in ore peccatoris: quod tu, Domine Deus meus, egenum et pauperem invitas ad communionem tui sanctissimi corporis! Sed quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Ecce coeli coelorum te non capiunt, et tu dicis: *venite ad me*, *omnes*. Quid sibi vult ista piisssima dignatio, et tam amicabilis invitatio? Quomodo ausus ero venire, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam? Reverentur Angeli et Archangeli, metuunt Sancti et Justi; et tu dicis: *venite ad me*, *omnes*? Nisi tu, Domine, hoc diceres, quis verum esse crederet? Et nisi tu juberes, quis accedere attentaret? Gratias tibi, Jesu bone, pastor aeterne, qui nos pauperes et exules dignatus es corpore et sanguine tuo reficere; et ad haec mysteria percipienda, etiam proprii oris tui alloquio invitare dicendo; *venite ad me*, *omnes qui laboratis*, *et onerati estis; et ego reficiam vos.* l. 4. c. 1.

2. Super bonitate tua, et magna misericordia tua, Domine confisus, accedo aeger ad salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad Dominum, desolatus ad meum pium consolatorem. Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Tu nosti servum tuum, et scis, quia nil boni in se

habet, unde hoc illi praestes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnosco tuam bonitatem, laudo pietatem, et gratias ago propter nimiam charitatem; propter temetipsum enim hoc facis, non propter mea merita; ut bonitas tua mihi magis innotescat, charitas amplior ingeratur, et umilitas perfectius commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, et tu sic fieri jussisti, placet et mihi dignatio tua; et utinam iniquitas mea non obsistat! . . Ecce in te est totum quod desiderare possum et debeo; in te salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria: *laetifica* ergo hodie *animam servi tui quoniam ad te*, Domine Jesu, *animam meam levavi.* Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere, cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zachaeo merear a te benedici, ac inter filios Abrahae computari. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te, nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo. *c.* 2. *et* 3.

3. O felix mens et beata anima, quae te, Dominum suum, meretur devote suscipere, et in tua susceptione, spirituali gaudio repleri! o quam magnum suscipit Dominum! quam dilectum inducit hospitem! quam jucundum recipit socium! quam fidelem acceptat amicum! quam speciosum et nobilem amplectitur sponsum, prae omnibus dilectis et super omnia desiderabilia amandum! Sileant a facie tua, dulcissime dilecte mi, coelum et terra, et omnis ornatus eorum; quoniam quidquid laudis ha-

bent et decoris, ex dignatione tuae est largitatis; nec ad decorem tui pervenient nominis, cujus sapientiae non est numerus. . . Et mihi quidem dulce foret in praesentia tua, ex intimo affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare. Sed ubi est haec devotio? Ubi lacrymarum sanctarum copiosa effusio? Certe in conspectu tuo, et sanctorum Angelorum tuorum, totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere: habeo enim te in Sacramento vere praesentem, quamvis aliena specie occultatum. *c. 3. et 11.*

4. Quando recordor devotorum aliquorum, ad Sacramentum tuum, Domine, cum maxima devotione, et affectu accedentium, tunc saepius in me ipso confundor, et erubesco quod ad altare tuum, et sacrae communionis mensam, tam tepide et frigide accedo; quod ita aridus et sine affectione cordis maneo; quod non solum totaliter accensus coram te Deo meo, nec ita vehementer attractus et affectus, sicut multi devoti fuerunt, qui prae nimio desiderio communionis et sensibili cordis amore, a fletu se non potuerunt abstinere; sed ore cordis et corporis ad te Deum fontem vivum, medullitus inhiabant, suam esuriem non valentes temperare, nec satiare, nisi corpus tuum cum omni jucunditate et spirituali aviditate accepissent. O vera ardens fides eorum, probabile existens argumentum sacrae praesentiae tuae! isti enim veraciter cognoscunt Dominum in fractione panis, quo-

rum cor tam valide ardet in eis, de Jesu ambulante cum eis. Longe est a me saepe talis affectus et devotio, tam vehemens amor et ardor. Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis et benigne: et concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire; ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate proficiat; et charitas semel perfecte accensa et coelesti manna experta numquam deficiat. Potens est autem misericordia tua etiam gratiam desideratam mihi praestare, et in spiritu ardoris, cum dies beneplaciti tui advenerit, me clementissime visitare. Etenim licet tanto desiderio tam spiritualium devotorum tuorum non ardeo, tamen de gratia tua illius magis inflammari desiderii desiderium habeo, orans et desiderans omnium talium fervidorum amatorum tuorum participem me fieri, ac eorum sancto consortio annumerari. *Cap. 14.*

5. Et licet indignus sim omnes illos devotionis sensus habere, tamen offero tibi totum cordis mei affectum, ac si omnia illa gratissima inflammata desideria solus haberem. Sed et quaecumque potest mens pia concipere et desiderare, haec omnia tibi cum summa veneratione, ac intimo fervore praebeo et offero. Nihil opto mihi reservare, sed me et omnia mea, tibi sponte et libentissime immolare, Domine, Deus meus, creator meus, et redemptor meus; com tali affectu, reverentia, laude, et onore; cum tali gratitudine, dignitate,

et amore; cum tali fide, spe, et puritate, et affectu hodie suscipere, sicut te suscepit et desideravit sanctissima mater tua gloriosa Virgo Maria, quando Angelo evangelizanti sibi Incarnationis mysterium humiliter ac devote respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* . . Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis, et immensae benedictionis, quae tibi, secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae, jure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies, et momenta temporum; atque ad reddendum mecum tibi gratias et laudes, omnes coelestes spiritus, et cunctos fideles tuos, precibus et affectibus invito et exoro. *Cap. 17.*

6. O dulcissime, atque amatissime Domine, quem nunc devote desidero suscipere; tu scis infirmitatem meam, et necessitatem quam patior; in quantis malis et vitiis jaceo; quam saepe sum gravatus, tentatus, turbatus, et inquinatus. Pro remedio ad te venio, pro consolatione et levamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea; et qui solus potes me perfecte consolari et adjuvare. Tu scis quibus bonis indigeo prae omnibus, et quam pauper sum in virtutibus. Ecce sto ante te pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina cecitatem meam claritate praesentiae

tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia gravia et contraria in patientiam, omnia infirma et creata in cotemptum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum, et ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in seculum; quia tu solus cibus et potus meus amor meus et gaudium meum, dulcedo mea et totum bonum meum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas, et in te transmutes; ut unus tecum efficiar spiritus, per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me jejunum et aridum a te recedere; sed operare mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. Quid mirum, si totus ex te ignoscerem, et in me ipso deficerem; cum tu sis ignis semper ardens, et numquam deficiens; amor corda purificans, et intellectum illuminans? *Cap. 16.*

§. II. *Pii affectus post Missam.*

1. O dulcissime et benignissime Jesu, quanta tibi reverentia, et gratiarum actio cum perpetua laude, pro susceptione sacri corporis tui debetur; cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur! O quam salutare et utile consilium tuum, cum illud instituisti! quam suave et jucundum convivium, cum te ipsum in cibum donasti! O quam admirabilis operatio tua, Domine quam potens virtus tua, quam infallibilis veritas tua! Dixisti enim, et

sancta sunt omnia: et hoc factum est, quod ipse jussisti. *Cap.* 2.

2. Mira res, et fide digna, ac humanum vincens intellectum, quod tu, Domine Deus meus, verus Deus et homo, sub modica specie panis et vini integer contineris, sine consumptione a sumente manducaris! Tu Domine universorum, qui nullius habes indigentiam, voluisti per sacramentum tuum habitare in nobis; conserva cor meum et corpus immaculatum; ut laeta et pura conscientia saepius valeam tua celebrare mysteria, et ad meam perpetuam accipere salutem, quae ad tuum praecipue honorem, et memoriale perenne sanxisti et instituisti. *Ibid.*

3. Laetare, anima mea, et gratias age Deo pro tam nobili munere, et solatio singulari in hac lacrymarum valle tibi relicto. Nam quoties hoc mysterium recolis, et Christi corpus accipis, toties tuae redemptionis opus agis, et particeps omnium meritorum Christi efficeris. Charitas etenim Christi numquam minuitur et magnitudo propitiationis ejus numquam exhauritur. Ideo nova semper mentis renovatione ad hoc disponere te debes, et magnum salutis mysterium attenta consideratione pensare. Ita magnum, novum, et jucundum tibi videri debet cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur et moreretur. *Ibid.*

4. Unde et omnium devotorum cordium jubilationes, ardentes affectus, mentales excessus, ac supernaturales illuminationes, et coelicas visiones tibi offero et exhibeo, Domine Jesu, cum omnibus virtutibus et laudibus, ab omni creatura in coelis et in terra celebratis et celebrandis, pro me et omnibus mihi in oratione commendatis, quatenus ab omnibus digne lauderis, et in perpetuum glorificeris. Laudent te universi populi, tribus, et linguae; et sanctum ac melifluum nomen tuum, cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent. Et quicumque reverenter ac devote altissimum Sacramentum tuum celebrant, et plena fide recipiunt, gratiam et misericordiam apud te invenire mereantur, et pro me peccatore suppliciter exorent. Cumque optata devotione ac fruibili unione potiti fuerint, et bene consolati, ac mirifice refecti de sacra mensa abcesserint, mei pauperis recordari dignentur. *Cap. 17.*

5. Quis mihi det, Domine, ut inveniam te solum, et aperiam tibi cor meum, ut fruar te, sicut desiderat anima mea, et jam me nemo despiciat, nec ulla creatura me moveat, vel respiciat; sed tu solus mihi loquaris, et ego tibi sicut solet dilectus ad dilectum loqui, et amicus cum amico convivari? . . . *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam* Hoc oro, hoc desidero, bone Jesu, ut tibi totus uniar, cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque per

sacram communionem ac frequentem celebrationem coelestia et aeterna sapere discam. Ah! DomineDeus, quando ero tecum totus unitus et absorptus, meique totaliter oblitus? Tu in me, et ego in te, et sic nos pariter in unum manere concede. *Cap. 13.*

6. Vere tu es dilectus meus, electus ex millibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae. Vere tu pacificus meus, in quo pax summa et requies vera; extra quem labor, et dolor, et infinita misteria. Vere tu es Deus absconditus et consilium tuum non est cum impiis, sed cum humilibus, et simplicibus sermo tuus. O quam suavis est spiritus tuus, Domine, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo, de coelo descendente, illos reficere dignatus es! Vere non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, Sicut tu Deus noster, ades universis fidelibus tuis; quibus ad quotidianum solatium, et cor rigendum in coelum, te tribuis ad edendum et fruendum. *Ibid.*

7. Quae est enim alia gens tam inclyta, sicut plebs christiana, aut quae creatura sub coelo tam dilecta, ut anima devota, ad quam ingreditur Deus, ut pascat eam carne sua gloriosa! O ineffabilis gratia! O admirabilis dignatio! O amor immensus homini singulariter impensus! Sed quid retribuam Domino pro gratia ista, pro caritate tam eximia? Non est aliud, quod gratius donare queam, quam

ut cor meum Deo meo totaliter tribuam, et intime conjugam. Tunc exultabunt omnia interiora mea, cum perfecte fuerit unita Deo anima mea. Tunc dicet mihi: si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum: et ego respondebo illi: dignare, Domine, manere mecum; ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum tibi sit unitum. *Ibid.*

8. Multa bona largitus es, et adhuc saepius largiris in Sacramento, dilectis tuis devote communicantibus, Deus meus, susceptor animae meae, reparator infirmitatis humanae, et totius dator consolationis internae. Nam multam ipsis consolationem adversus variam tribulationem infundis; et de imo dejectionis propriae ad spem tuae protectionis erigis, atque nova quadam gratia eos intus recreas et illustras, ut qui anxi primum et sine affectione se ante communionem senserant, postea refecti cibo potuque coelesti, in melius se mutatos inveniant . . . Ego qui quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor et premor, et non est qui adjuvet; non est qui liberet, et salvum faciat, nisi tu, Domine Deus, salvator meus; cui me committo et omnia mea, ut me custodias, et perducas in vitam aeternam. Suscipe in laudem et gloriam nominis tui qui corpus tuum in cibum, et sanguinem in potum mihi dedisti. Praesta, Domine

Deus, salutaris meus, ut cum frequentatione misterii tui, crescat meae salutis et devotionis affectus. *Cap. 4*

9. Offero quoque tibi, dulcissime et benignissime Jesu, omnia pia desideria devotorum, necessitates parentum, superiorum, amicorum; fratrum, sororum, omniumque charorum meorum, et eorum qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes et Missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam seculo defuncti sint, ut omnes sibi auxilium gratiae tuae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis, advenire sentiant; et ut, ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas laeti persolvant. Offero etiam tibi preces et hostias placationis, pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt, aut vituperaverunt, vel aliquod damnum aut gravamen intulerunt; pro is quoque omnibus, quos ego aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, et scandalizavi, verbis, factis, scienter, vel ignoranter; ut nobis omnibns pariter indulgeas peccata nostra, et mutuas offensiones. Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram, et disceptationem, quidquid potest charitatem laedere, et fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere, Domine, misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus, et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus aeternam. Amen. *Cap. 9.*

Aspirationes post Missam saepe per diem repetendae. Ex Card. Bona.

Quis me separabit a charitate tua, Domine, Deus meus? non timor mortis, quia tu es vita mea; non amor mundi, quia ipsum sperno et omnes pompas ejus; non tribulatio, quia tu dum tribulor mecum es: non fames, non nuditas non paupertas, quia tu es cibus meus, operimentum meum et divitiae meae; non persecutio, non gladius, quia haec dulcia mihi sunt propter te; non creaturae, quia ante te nihil sunt.

Quando educes me de isto carcere, cui te relicto adhaesit anima mea? Quando trahes me post te captum specie tua et pulchritudine tua? Quando mihi, et toti mundo mortuus ero, ut in te solo vivam, et tu vivas in me?

O si semper te amarem, te semper possiderem, a te numquam discederem, in te prorsus converterer!

Quid possum extra te desiderare, cum in te sint omnia bona? Nimis avarus est, cui tu non sufficis.

O amor, qui omnia potest, quando facies, ut diligam te toto corde, tota anima, totis viribus?

Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum.

Refice, Domine, esurientem animam meam; accende frigiditatem meam igne amoris tui; illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae.

Verte mihi omnia terrena in amaritudinem; omnia infima et creata in contemptum et oblivionem.

Erige cor meum ad te in coelum, et ne permittas me vagari super terram.

Penetret, quaeso, hujus Sacramenti virtus omnia intima mea; et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est mortificet et eradicet.

In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii quod est sine te; amara mihi sit omnis quies, quae non est in te.

Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant, et quidquid terrenum in me est comburant et consumant; ut igne inextinguibili charitatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat.

Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te, et in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!

Sanctus Augustinus de dignitate Sacerdotum sic ait.

O veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis incarnatur! O felices Sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis! O coeleste mysterium, quod per vos Pater, et Filius et Spiritus Sanctus tam mirabiliter operantur sub tam ineffa-

bili ministerio vestro, quo uno eodemque momento idem Deus, qui praesidet in coelo, in manibus vestris est in sacrificio! Coelum miratur, horrescit infernus, contremiscit diabolus, reveretur quam plurimum Angelica celsitudo. Quid retribuam Domino (ut taceam de coeteris) qui retribuit mihi, pro tam singulari dono mihi sacrificio impenso, quod est datum optimum et omne donum perfectum? O venerabilium sanctitudo manuum! O felix exercitium, ubi tractat Christum Sacerdos Dei Filium, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum! O Sacerdotes, attendite! major est dignitas vobis collata quam Angelis, qui adorant quod vos conficitis, nec ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiae Dei! O ineffabilis clementia Salvatoris! quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos hoc Sacramentum ineffabile conficit, Angelus conficienti sibi quasi famulus assistit.

S. Chrysostomus idem argumentum prosequitur his verbis.

Multi Sacerdotes, et pauci Sacerdotes; multi in nomine, pauci in opere. Videte ergo, o Christi ministri, quomodo sedeatis super Cathedram, quia Cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sederit super Cathedram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, injuriam facit Cathedrae: in judi-

cio enim sedes, si bene vixeris et bene docueris, omnium judex eris; si autem bene docueris et male vixeris, tui solius. Nam bene vivendo et bene docendo, populum instruis quomodo vivere debeat; bene autem docendo et male vivendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. *Hom. 43. oper. imperf. in Mat.*

APPENDIX

De Sacrosancto Missae Sacrificio.

* Quae hic superadduntur, ea fere omnia excerpta sunt ex piissimi Cardinalis Bona tractatu, quem unctionis aequi ac doctrinae plenum nemo nescit.

§. *I. Quale Sacrificium sit Missa.*

Quamvis in lege veteri plura fuerint sacrificia, in nova tamen unicum est, quod omnium legalium Hostiarum differentiam tanto perfectius complectitur, quanto excellentior Deoque acceptabilior est victima, quae in eo immolatur. Est igitur Missa sacrificium *Latreuticum*, sive honorarium oblatum Deo ad summum et supremum cultum atque honorem ipsi exhibendum, tanquam primo principio et ultimo fini nostro, in protestationem infinitae ejus excellentiae, dominii, et majestatis; nostraeque ab eo dependentiae, servitutis, et subjectionis. Est *Eucharisticum*, in gratiarum actio-

nem pro omnibus beneficiis naturae, gratiae, et gloriae collatis, et conferendis ab ipso Deo, ut summo benefactore. Est *Propitiatorium* et satisfactorium, pro peccatis et poenis debitis, applicat enim omnibus, pro quibus offertur, vim et virtutem sacrificii Crucis: imo est idem sacrificium quo ad substantiam, eadem Hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur. Ideo vero Propitiatorium dicitur, quia hac oblatione placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae peccatoribus non ponentibus obicem concedit: poenas item peccatis debitas relaxat, quia per ipsum applicatur sacrificium Christi, qui pro peccatis totius mundi in Cruce satisfecit. Easdem poenas remittit Defunctis existentibus in Purgatorio, quia ad eum quoque finem a Christo institutum est, ut constat ex *potestate*, quae confertur Sacerdotibus in Ordinatione, *offerendi pro vivis et defunctis*: nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. Porro in illis, pro quibus tantum offertur, sive vivis sive defunctis, tanta erit poenae remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit. Licet enim res, quae offertur, sit infiniti valoris, nostra tamen oblatio non nisi finitum habet effectum, ut communiter docent Theologi. In iis vero qui simul etiam offerunt, augetur pro cujusque affectu et devotione. Denique quia Christus non solum nobis remissionem peccatorum, sed alia quaecumque beneficia promeruit, idcirco hoc sacrificium est

etiam omnium bonorum *Impetratorium*, spiritualium quidem primo et per se, temporalium vero secundario, et quatenus ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet duntaxat impetrandi in genere; ut aliquid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiae intentio, praesertim quoad ea quae in orationibus Missae a Deo petuntur: nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui Ministri.

§. *II. De his qui offerunt hoc Sacrificium.*

Primum et praecipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per sacerdotes ministros suos, ideo dicitur sacerdotium habere sempiternum, sicut scriptum est, *Tu es Sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech.* Non solum autem ex eo est offerens quod illud instituerit, quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit: sed ex eo praecipue quod Sacerdos in persona ejus, tanquam minister ac Legatus ipsum repraesentans sacrificat, ut constat ex verbis consecrationis; non enim dicit: *Hic est Corpus*, vel *Hic est Sanguis* Christi; sed *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus.* Christus igitur simul cum Sacerdote idem sacrificium Deo Patri pro hominibus offert: et ex ejus

persoua, cujus purissima sanctitas et dignitas infinita est, semper hoc sacrificium mundum est gratum Deo, quamvis a Ministro peccatore offeratur.

Alter offerens est ipsa Catholica Ecclesia cujus Sacerdos Minister est, et in ea omnes fideles non excommunicati, qui etiam aliqua ratone sunt offerentes per Sacerdotem, non tanquam per Ministrum, sed tanquam per legatum seu Mediatorem. Nam sicut tota respublica dicitur agere, quidquid ejus nomine legatus suus agit: sic omnes Catholici dicuntur sacrificare, quia ipsorum nomine in persona totius Ecclesiae Sacerdos sacrificat. Non tamen omnes eodem modo: sed quidam habitualiter tantum, illi nimirum qui nec adsunt sacrificio, nec cogitant de illo; quia tamen uniti sunt toti Ecclesiae per charitatem, censentur habitualiter idem facere, quod illa facit. Alii causaliter jubendo et curando; ut quis sacrificet, quod maxime contingit in dantibus ad hoc eleemosynam. Alii demum actualiter, qui sacrificio actu intersunt.

Tertius offerens et proprius Minister hujus sacrificii est Sacerdos legitime ordinatus, cujus tam firma et immobilis potestas est, ut etiam in haeresim lapsus, suspensus, depositus, degradatus, sive excommunicatus, valide hoc sacramentum conficiat et offerat, licet illicite, dummodo legitimam materiam et formam adhibeat. Nec valor sacrificii minuitur, etsi Sacerdos pessimus aut ab Ecclesia praecisus sit:

non enim fructus ex qualitate Ministri, sed ex Christi institutione dependet.

§. III. *De vi effectiva hujus Sacrificii.*

Duplex spectari potest in hoc sacrificio vis effectiva. Una quam dicunt Theologi ex opere operato, independenter a merito, et dignitate Ministri: altera, qua vocant ex opere operantis, dependenter nimirum ab ipso operante, ejusque merito et bonitate, atque ab ipso pretium et virtutem accipiens. Primum effectum ex opere operato plures Theologi docent, nec Sacerdotem percipere ut offerens est, nec fideles quatenus sunt offerentes, sed quatenus pro ipsis offertur: hunc enim effectum sacrificium istud non habet, nisi pro iis pro quibus est institutum, et eo modo quo institutum fuit: est autem institutum ut pro hominibus offeratur, et ut illis duntaxat prosit, qro quibus offertur: cumque sit applicativum virtutis sacrificii Crucis, non causat nisi in subjecto, cui talis virtus applicatur: id autem fit ab offerente, qui determinat oblationem pro tali persona. Constans semper fuit Catholicorum sententia habere hoc infallibiles et determinatos effectus ex opere operato, nisi ille pro quo offertur, obicem ponat, remissionem videlicet alicujus poenae peccatis jam remissis debitae, vel donum alicujus gratiae praevenientis ad obtinendam commissorum remissionem. Quod vero attinet ad vim impetrativam, eam non esse infallibilem quotidiana probamus

experientia: non enim omnia quae petimus, et propter quae sacrificium offertur, semper impetramus. Provenit hoc ex natura impetrationis, quae requirit libertatem in dante, adeo ut possit pro suo arbitrio negare vel concedere quae petuntur. Petimus enim proposito aliquo motivo, quo putamus posse Deum moveri ad aliquid faciendum, sed ex eo non arctatur, vel propter pactum, vel propter institutionem, ad concedendum. Deinde non impetramus, nisi voluntas nostra, respectu rei quam petimus, sit conformis voluntati Christi, quae cum nobis ignota sit, ei non possumus nos conformare. Certum nihilominus est non carere sacrificium hoc effectu, quia, tametsi id praecise Deus non concedat quod postulamus, aliud tamen tribuit quod hic et nunc magis judicat expedire.

Quoad alterum effectum ex opere operantis, duo sunt capita, ex quibus augeri potest. Primum est bonitas et dignitas operantis procedens ex habitu gratiae sacrificantis et virtutum, quae gratiae annexae sunt: nam quo sanctior est Sacerdos et gratior Deo, eo magis aceptabiles erunt ejus preces, et oblationes. Secundum est actualis devotio, qua sacrificium offertur: nam quo major illa est, eo amplius ipsum prodest. Sicut enim alia opera bona a justo facta, eo magis sunt meritoria et impetratoria, plusque valent ad satisfactionem et remissionem poenae, quo perfectius et ferventius fiunt: ita hoc sacrificium sive spectetur ut est sacrificium, sive ut est sacramentum,

quo ferventius peragitur et suscipitur, eo magis augetur meritum, magisque prodest pro se offerentibus, et suscipientibus, et illis pro quibus offertur. Ideo satagere debet Sacerdos, ut sit Deo valde gratus, et continua virtutum heroicarum exercitatione crescat apud illum in gratia et sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore et devotione: sic enim fiet, ut tam ipse, quam alii pro quibus offert, plures et efficaciores sacrificii effectus ex opere operantis consequantur.

§. IV. *De valore et fructibus Sacrificii.*

Quamvis nonnulli ex Theologis existimarint hoc sacrificium ex opere operato valorem sive efficaciam intensive infinitam habere, eo quod sit idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis, resque oblata, corpus scilicet et sanguis Christi, sit infiniti pretii, et ipse Christus principalis offerens sit persona infinita; certior tamen et communior sententia est, non nisi finiti valoris esse. Potissima hujus assertionis ratio ex Christi Domini voluntate desumitur, qui noluit hoc sacrificium ordinare ad fructum intensive infinitum conferendum: sicut de facto rebelles Angeli non sunt redempti, quia Christus merita suae passionis noluit illis applicare. Alia ratio est, quia ad infinitam sacrificii efficaciam, praeter Hostiae, et principalis offerentis infinitatem, requiritur etiam ejus infi-

nitas a quo immediate offertur. Cum igitur Sacerdos immediatus offerens sit finitae dignitatis, valor etiam sacrificii quoad actualem influxum et efficientiam finitus erit, quia actio illa a supposito finito immediate producitur: et in hoc differt a sacrificio Crucis sacrificium nostrum, quia illud fuit immediate a supposito infinito, ideoque fuit actio secundum esse morale infinita, et Deo Patri infinite grata. Favet huic doctrinae communis fidelium sensus: qui plura pro se et suis sacrificia offerri curant, quod certe non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam Sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod ecclesiastica vetant decreta. Frustra pro uno Defuncto tot multiplicarentur sacrificia, quia unum sufficiens esset ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet Sacerdos sacrificium Christi in Cruce aequaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti. Neque considerandum est id quod in sacrificio continetur, tamquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suae, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantam habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor noster, qui hoc incruento sacrificio vult nobis applicari finitum tantum et limitatum fructum suae Passionis. Habet igitur sacrificium efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus, excepta vi impetrativa, quam ideo infinitam esse omnes fatentur, quia non

consistit in aliquo quod producatur a sacrificio, sed in excellentia et intrinseca dignitate ipsius, quatenus obiective movet Deum ad id quod petitur concedendum, quamvis semper non concedat, nisi cum judicat saluti nostrae expedire ut concedatur.

Si vero loquamur de infinitate intensiva, an scilicet sacrificium pro multis oblatum aeque singulis prosit, sicut uni prodesset, si pro eo tantummodo offerretur, gravis quaestio est, praemissa distinctione fructum Missae, definienda. Est igitur triplex portio valoris Missae, seu triplex fructus, generalis, specialis et medius. Primus pertinet ad omnes Fideles; secundus est proprius Celebrantis; tertius subest dispositioni Sacerdotis, ut applicet cui voluerit.

Primus ex eo provenit quod generaliter pro omnibus Fidelibus et defunctis offertur: est enim idem quoad substantiam cum sacrificio Crucis, quod pro omnibus oblatum est, et ex Canone constat debere Sacerdotem pro omnibus applicare: pro Papa, pro Episcopo, pro Rege, totaque Ecclesia militante et purgante: et non potest non applicare, cum sit ab ipsa Ecclesia ad hoc specialiter deputatus. Quodcirca hic fructus ad omnes Fideles extenditur qui ab Ecclesiae unitate non sunt praecisi, et non ponunt obicem, et sic potest esse quodammodo extensive infinitus, omnesque et singuli, si per ipsos non stet, integrum fructum percipere possunt, ac si unus tantum esset. An autem hic fructus non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem includat, controversum est.

Secundus in hoc fundatur, quia Sacerdos offert etiam pro se ipso: *offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis.* Debet enim, ut ait Apostolus, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Provenit autem Sacerdoti fructus, quatenus ab ipso ut publico Ministro offertur; et ideo non est alteri applicabilis; nam dum offert pro se illis verbis, *pro peccatis et offensionibus meis*; eo ipso sibi applicat; sibi vero applicatum non est alteri applicabile.

Tertius colligitur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro homnibus offeratur, ac propterea illis prodesse debet pro quibus offertur. De hoc fructu medio communis sententia est non esse infinitum extensive, sed eo magis in singulis minui, quo magis extenditur. Debet autem Sacerdos hunc fructum illi applicare, pro quo specialiter celebrare tenetur ratione beneficii, eleemosynae, praecepti superioris, vel alio quocumque titulo; idque ante Missam, vel saltem in Missa ante consecrationem; nam si essentia Missae in sola consecratione consisteret, ut plerique sentiunt, applicatio post illam facta nihil valeret, sacrificio quoad substantiam jam consummato.

§. V. *Quae praxis servanda in applicatione Missae.*

Quia diximus sacrificii fructum debere a Sacerdotibus applicari, operae pretium erit ex

communi et magis recepta Theologorum sententia praxim aliquam sive methodum hujus applicationis praescribere, quae ipsis Sacerdotibus usui sit, ne eos labi in re tanti momenti, et muneri suo deesse contingat. Et primo quidem observandum est Sacerdotem multiplici nomine hoc sacrificium offerre: nomine Christi primi et praecipui offerentis, ex cujus voluntate maxime pendet ejusdem applicatio: nomine item Ecclesiae, cui meritorum suorum et satisfactionum dispensationem Christus commisit: deinde nomine proprio, quatenus libera sua voluntate offert, sibique aut aliis pro suo arbitrio applicat: nomine tandem aliorum Fidelium, qui simul cum ipso, sive per ipsum interno affectu offerre dicuntur, illorum videlicet, qui Missae inserviunt et assistunt, vel pro ea celebranda eleemosynam largiti sunt. Porro Christus et Ecclesia sacrificii fructum, quoties offertur, participes esse volunt omnes Fideles dummodo capaces sint, et nullus in eis obex reperiatur, nec ulla requiritur ex parte Sacerdotis celebrantis applicatio, ut communis hic fructus in omnes diffundatur. Omnium autem fructum pars quaedam notabilis, Christo sic volente, est determinationi tam ipsius Sacerdotis celebrantis, tanquam Ministri et mysteriorum ejus dispensatoris, quam aliorum simul cum eo offerentium, quod ex communi Ecclesiae consensu morem Fidelium approbantis, quo expetunt hoc sacrificium pro se peculiariter offerri, manifestum est: frustra

enim id facerent, si omnis ejus fructus jam applicatus esset, nec ullus per Sacerdotis intentionem applicandus superesset. Sacerdos vero in hujus sacrificii actione aliis cum ipso offerentibus superior est, et ideo fructuum applicatio ab ejus intentione praecipue pendet: nam cum sit actus potestatis ordinis, ejus subjacet voluntati. Sed quanta et qualis sit portio fructus, quam Christus Dominus voluit sive generatim ad omnes fideles, sive specialim ad hos vel illos secundum intentionem particularem Sacerdotis celebrantis derivari, incertum omnino est: neque enim sacra Scriptura, nec Ecclesiae traditio, nec Concilia, aut Patres quidquam de hac re tradiderunt, aut definierunt. Ideo satis est quod Sacerdos tantum de fructu sacrificii juxta devotionem, sive obligationem suam his aut illis applicare velit, quantum Christus Dominus ipsi applicandum concessit.

Observandum secundo quod, ut Sacerdos sacrificii fructum valide applicet, necessaria est ejus intentio, qualem requiri aiunt Theologi ut aliquod Sacramentum valide conficiatur. Quapropter habitualis sufficiens non est; actualis optima atque laudabilis, sed non necessaria; sufficit enim virtualis, illa nimirum quae ab actuali proveniens et non revocata, adhuc remanet secundum suam virtutem. Debet autem haec intentio ipsam sacrificii actionem concomitari, et esse certa et determinata, nec effectum suspensum relinquere, quia non potest a

futura conditione dependere. Quod si Sacerdos fructum sacrificii nemini applicet, vel ille pro quo offert ejus capax non est, aut eo non indiget, manet fructus in Thesauro Ecclesiae. Unde in tali casu optimum fore censent Theologi conditionatam habere voluntatem, et alium substituere, qui eo fructu potiatur. Optimum quoque aliquibus visum est quod Sacerdos qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter et nominatim exprimat, non generaliter et in confuso, quia singulis minus prodesset; suum enim effectum producit, secundum modum quo applicatur: perfectior autem applicatio est, cum omnes sigillatim nominantur. Ad scrupulos denique evitandos qui circa applicationem oriri possunt, debet Sacerdos, rejectis incertis opinionibus, sacrificii fructus primo et principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur, ratione beneficii, eleemosynae, promissionis, aut specialis obligationis. Tum sine ejus praejudicio et in quantum licite potest, aliis item applicare poterit sibi charitate, aut alia quavis ratione peculiariter conjunctis, seu commendatis: suam intentionem intentioni Christi summi Sacerdotis perfecte conformando, et submittendo: sic enim poterit tuta conscientia ex infinito et nunquam exhauriendo thesauro meritorum et satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quae ex summa et ineffabili Dei misericordia non nisi uberrima sperari potest.

§. *VI. De rite observandis in celebratione Missae sacris Ritibus et Caeremoniis.*

» Cum natura hominum ea sit, ut non fa-
» cile queat sine adminiculis exterioribus ad
» rerum divinarum meditationem sustolli; pro-
» pterea Pia Mater Ecclesia ritus quosdam,
» ut scilicet quaedam summissa voce, alia vero
» elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit;
» Caeremonias item adhibuit, ut mysticas be-
» nedictiones, lumina, thymiamata, vestes,
» aliaque id genus multa, ex apostolica disci-
» plina et traditione, quo et majestas tanti Sa-
» crificii commendaretur, et mentes fidelium
» per haec visibilia Religionis et pietatis signa,
» ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio
» latent, contemplationem excitarentur... Ut
» ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et
» fidelis populi aedificationem (habeatur,) de-
» cernit Sancta Synodus; ut Episcopi edicto et
» poenis propositis caveant, ne Sacerdotes aliis
» quam debitis horis celebrent, neve ritus
» alios, aut alias caeremonias et preces in Mis-
» sarum celebratione adhibeant, praeter eas
» quae ab Ecclesia probatae, ac frequenti et
» laudabili usu receptae fuerint ». *Concilium Tridentinum Sessione XXII. capitib. V. et IX.*

MONITUM SACERDOTI PRO MISSÆ CELEBRATIONE.

Non vana gloria celebret, ut videatur devotus,
Non ex avaritia turpi, ne videatur parcus,
Non ex mera consuetudine, ne sit sacrilegus,
Non timore pravo, ne videatur servus:
Sed intendat sacrificio Deum, ut par est, colere,
Corpus et Sanguinem Christi reverenter consecrare,
Mortem ejusque passionem annuntiare,
Vivis et mortuis abundanter prodesse,
Deum placendo, peccato finem dare.
Optet anima devotionis augmentum,
Dei proximique charitatis incrementum,
Pro gloria Dei virtutis profectum,
Transformationem sui totalem in Deum.

Brevius ex Sancto Laurentio Justiniano.

Accedat Sacerdos ad Altaris Tribunal, ut Christus,
Assistat ut Angelus,
Ministret ut Sanctus.
Populorum vota offerat ut Pontifex.
Pro pace interpellet ut mediator.
Pro se autem exoret ut homo.

Ante recitationem hujus Officii.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui non oraris tantum a nobis ut Deus, sed et ineffabili pietate oras in nobis ut caput nostrum, et oras pro nobis ut Pontifex noster: concede nobis, ut per te, quem advocatum habemus apud Patrem, offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Qui cum eodem Patre, et Spiritu Sancto vivis, etc.

Post recitationem Officii.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in diebus carnis tuae preces, supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus es pro tua reverentia, ne irascaris super orationem servi tui, neque amoveas orationem meam et misericordiam tuam a me: sed Spiritus tuus adjuvet infirmitatem meam, ut orem te semper et non deficiam, in omni loco levans puras manus Deo, et benedicens te in omni tempore. Qui cum eodem Patre. . . . . in unitate ejusdem, etc.

OFFICIUM PARVUM

Pro obtinenda a Deo gratia perfecte cognoscendi excellentiam Ministerii Ecclesiastici, illudque rite adimplendi.

AD NOCTURNUM.

Domine, labia mea aperies:
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus, in adjutorium meum intende: ℟. Domine, ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, etc.
Invitator. Dominum Messis, cujus est mittere operarios in Messem suam, * Venite, adoremus.

Psalmus 49.

Venite exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro: praeoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Dominum messis, cujus est mittere operarios in messem suam, * Venite.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes Deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terrae, et altitudines montium ipse conspicit.

* Venite, adoremus.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit il-

lud, et aridam fundaverunt manus ejus: Venite, adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster; nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus.

Dominum messis, etc.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, et viderunt opera mea. * Venite.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic et dixi: Semper hi errant corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

Dominum messis, cujus est mittere operarios in messem suam, * Venite.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.

* Venite, adoremus.

Dominum messis, cujus est mittere operarios in messem suam, * Venite.

Hymnus.

Jam satis fluxit cruor hostiarum,
Pristinae cessent holocausta legis,
Christe, quos formas, meliora libant
Sacra Ministri.

Elicit flammas Elias ab alto,
Mysta nunc major jubet, et potenti

Obsequens verbo Deus astat aris
Hostia factus.
Pingue libamen, novus et Sacerdos
Orbe jam toto Deus immolatur,
Se manu nostra litat incruento
Funere Christus.
Tale nil priscis patribus tributum,
Angelis nusquam data par potestas,
Se manu nostra Deus ipse cunctis
Praebet in escam.
Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractemus, manibusque puris;
Charitas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.
Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneretur orbis,
Qui Sacerdotes per amoris almi
Flamen inungis. Amen.

Ant. Ego plantavi te.

Psalmus 79.

Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Cherubim: manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.

Excita potentiam tuam, et veni: ut salvos facias nos.

Deus converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Domine, Deus virtutum: quousque irasceris super orationem servi tui?

Cibabis nos pane lacrymarum: et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.

Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsanaverunt nos.

Duus virtutum, converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Vineam de Ægypto transtulisti: ejecisti gentes, et plantasti eam.

Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, et implevit terram.

Operuit montes umbra ejus: et arbusta ejus cedros Dei.

Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines ejus.

Gloria Patri, etc.

Ant. Ego plantavi te vineam electam, quomodo ergo conversa est mihi in pravum vinea aliena? *Jer.* 2. 21.

Ant. Pastores multi.

Ex eodem Psalmo.

Ut quid destruxisti maceriam ejus? et vindemiant eam omnes qui praetergrediuntur viam?

Exterminavit eam aper de silva: et singularis ferus depastus est eam.

Deus virtutum, convertere: respice de coelo, et vide, et visita vineam istam.

Et perfice eam quam plantavit dextera tua: et super Filium hominis quem confirmasti tibi.

Incensa igni, et suffosa: ab increpatione vultus tui peribunt.

Fiat manus tua super virum dexterae tuae: et super filium hominis quem confirmasti tibi.

Et non discedimus a te: vivificabis nos et nomen tuum invocabimus.

Domine Deus virtutum, converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

Gloria Patri, etc.

Ant. Pastores multi demoliti sunt vineam meam; conculcaverunt partem meam; dederunt portionem meam desiderabilem in desertum solitudinis. *Jer.* 12. 10.

℣. Leva manus tuas in superbias eorum in finem.

℟. Quanta malignatus est inimicus in sancto! *Ps.* 73. 4.

Pater noster.

Absol. Deus det nobis illuminatos oculos cordis, ut sciamus quae sit spes vocationis ejus.

Jube, Domine, benedicere.

Bened. ad 1. *Lect.*

Adaperiat Deus cor nostrum in lege sua et in praeceptis suis.

Ad 2. *Lect.*

Dominus confirmet corda nostra in omni opere et sermone bono.

Lectiones infra pro singulis hebdomadae diebus, post Completorium.

℟. *j.* Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. * Si stetissent in consilio meo avertissem utique eos a via sua mala. ℣. Ipsi regnaverunt, et non ex me: Principes extiterunt et non cognovi. * Si stetissent. *Jer.* 23. 21.

℟. ij. Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; * Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri Jesu Christi. ℣. Ministrate in fide vestra virtutem, scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, charitatem. * Sic enim. Gloria, etc.

℟. Satagite. 2. *Pet.* 1.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus inspirator sancti Consilii, vota humilitatis nostrae benignus suscipe, et da nobis sedium tuarum assistricem sapientiam; mitte illam de coelis sanctis tuis, ut sciamus quid acceptum sit apud te, et deducat nos in operibus nostris sobrie, et custodiat nos in sua potentia. Per Dominum nostrum, etc.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

AD LAUDES.

Deus in adiutorium, etc.
Ant. Mane notum faciet.

Psalmus 142.

Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua; exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terram vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis; Domine, ad te

confugi : doce me facere voluntatem tuam , quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam : propter nomen tuum , Domine , vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam : et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam ; quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri , etc.

Ant. Mane notum faciet Dominus qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi ; et quos elegerit appropinquabunt ei , et quemcumque elegerit erit sanctus. *Num.* *16.* 5.

Capitulum.

Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis , non accedet offerre Hostias Domino , nec panes Deo suo ; nec accedat ad Altare , quia maculam habet et contaminare non debet sanctuarium meum ; ego Dominus. *Lev.* *21.* ℟. Deo gratias.

Hymnus.

O Sacerdotum veneranda jura !
Ceu vices Christi teneant , sal itis
Arbitri claudunt referantque nobis
Atria Coeli.

Omne pendentes scelus in statera ,
Cum reum solvunt , Deus ipse solvit ;

Cum ligant sontem, Deus ipse sontis
Vincula nectit.
Quam manus morbis adhibent peritas!
Cum secant, semper pia dextra coedit,
Cum fovent, semper pia lenit ungens
Vulnera dextra.
Verba dum promunt, populus fidelis
Excipit vocem, cupidus doceri;
Nempe divinae sacra verba legis
Mente recondunt.
Irruens prompti cohibere fulmen,
Stant ab adverso, Dominumque placant;
Vindices in nos quoties ab alto
Depluit iras.
Dum Sacerdotes tua Sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicasti,
Consonent mores, populique fiat
Forma Sacerdos.
Luminis splendor, Patris una proles;
Christe, te pronus veneretur orbis,
Qui Sacerdotes per amoris almi
Flamen inungis. Amen.

℣. Lavabo inter innocentes manus meas.
℟. Et circumdabo altare tuum, Domine.
Ant. Visitabo.

Canticum Zachariae. Luc. 1.

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae

Et erexit cornu salutis nobis; in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum: qui a seculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris; et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum: daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Gloria Patri, etc.

Ant. Visitabo oves meas, et suscitabo super eas Pastorem unum qui pascat eas. *Ezech.* 34.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Spirituum ponderator, Domine, qui Sanctum vetas dari canibus; emitte, quaesumus, lucem tuam, et veritatem tuam, ut ad coenam nuptiarum Agni amici sponsi introducantur, et

arceantur alieni. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

AD PRIMAM.

Deus in adjutorium, etc.

Hymnus.

Tartari dirae paveant choortes,
Bella divinum meditatur agmen:
In suis unctis Deus ipse miles
Praelia tentat.
Prodeunt tecti galea salutis,
Cum crucis signo gladioque verbi,
Intonant Christum, ruit ecce preceps
Hostis in umbras.
Sustinent curas gregis, et quiescit:
Leniunt flendo lacrymas gementum,
Quas sibi duri rapiunt, egenus
Pascitur escis.
Quae tuis formas populis ministros,
Laus tibi jugis, Deitas suprema:
Fac ut in Clero sua prima virtus
Christe resurgat. Amen.
Ant. Nec quisquam.

Psalmus. 24.

Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim uni-

versi qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tua edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum Domine: et misericordiarum tuarum, quae a seculo sunt.

Delicta juventutis meae: et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei: propter bonitatem tuam, Domine,

Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

Universae viae Domini misericordia et veritas: requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.

Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur: et semen ejus haereditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt: de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt: et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhaeserunt mihi: quia sustinui te.

Libera Deus Israel: ex omnibus tribulationibus suis. Gloria Patri, etc.

Ant. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron, *Heb.5.4.*

Capitulum.

Ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core omnis congregatio ejus, loquente Domino. *Num. 16. 40.* ℟. Deo gratias.

℟. *brev.* Christe Fili Dei vivi; * Miserere nobis. Christe. ℣. Qui non temetipsum Clarificasti ut Pontifex fieres; * Miserere. Gloria Patri. Christe. *Heb. 5. 5.*

℣. Exurge, Christe, adjuva nos.

℟. Et libera nos propter nomen tuum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui omnia operaris secundum consilium voluntatis tuae; mitte, quaesumus, quos missurus es, ut qui eis fueris oneris auctor, ipse fias administrationis adjutor, et des virtutem, qui contuleris dignitatem. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Deus, in adjutorium, etc.

Hymnus.

Pax tuos ergo manet alta fines,
Christe, jam liber tibi servit orbis,
Jam tuis late tua sponsa regnat
    Tuta ministris.
  Coelitum cantus imitando, Numen
Laude ter Sanctum celebrant perenni:
Mente jam coelo, sua membra casti
    Vix sua credunt.
  Si rèo vindex minitatur ira,
Inferunt blanda prece vim Tonanti;
Vincitur votis Deus, et vibrata
    Tela coercet.
  Quae tuis formas populis ministros,
Laus tibi jugis, Deitas suprema:
Fac ut in Clero sua prima virtus
    Christe resurgat. Amen.

Ant. Si quis.

Psalmus 25.

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor.

Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum.

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi Ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo Altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in Ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, etc.

Ant. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom. 8. 9.*

*

Capitulum.

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium, huic ostiarius aperit. *Joan. 10. 2.*

℟. Deo gratias.

℟. *brev.* Spiritus tuus bonus * Deducet me in terram rectam. ℟. Spiritus. ℣. Diriget mansuetos in judicio. * Deducet. Gloria Patri.

℟. Spiritus. *Ps. 142. 10.*

℣. Ne projicias me a fecie tua.

℟. Et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus qui facis Angelos tuos Spiritus et Ministros tuos flammam ignis, emitte Spiritum tuum, et renova faciem Cleri, ut Sacerdotes, velut administratorii spiritus in ministerium missi, de regno tuo tollant omnia scandala, et ignem, quem venit Jesus mittere in terram, in omnium cordibus accendant. Per eumdem... in unitate ejusdem, etc.

AD SEXTAM.

Deus, in adjutorium, etc.

Hymnus.

Jam non bella furunt: post data praelia
In longa placidi pace quiescitis:
Pastor, pro grege pasto,
Pleno numine pascitur:
Gens per vos superum coetibus addita,
Coelo vos geminis plausibus excipit:
Certat prompta coronas
Vestris nectere frontibus.
Os quondam madidum sanguine Numinis,
De torrente bibit gaudia plenius;
Quem sprevere, superbo
Mundum nunc pede comprimunt.
Jugis summa Trias, sit tibi gloria,
Quae solemne tuo praepositis gregi,
Pro mercede laboris,
Te das prodiga, praemium. Amen.

Ant. Omnis plantatio.

Psalmus 23.

Domini est terra et plenitudo ejus: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina preparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum: quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri, etc.

Ant. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis eradicabitur. *Mat.* *15.* *13.*

Capitulum.

Noli quaerere a Domino ducatum, neque a rege Cathedram honoris: noli quaerere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Eccli.* *7.* *4.* ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Proba me Deus, * Et scito cor meum. ℟. Proba me. ℣. Interroga me, et cognosce semitas meas: * Et scito. Gloria Patri. ℟. Proba me. *Psal.* *138.* *23.*

℣. Vias tuas, Domine, demonstra mihi.

℟. Et semitas tuas edoce me.

OREMUS.

Constitue, Domine, super opus tuum viros boni testimonii, plenos Spiritu Sancto, et sapientia, qui velut fideles mysteriorum dispensatores, quae sua sunt non quaerant, sed ab ovibus recipientes necessitatis sustentationem, a Principe Pastorum expectent mercedem. Per eumdem... in unitate ejusdem, etc.

AD NONAM.

Deus, in adjutorium, etc.

Hymnus.

Qui stellata Poli tangitis atria,
Proles vestra sumus, Pontifices sacri,
Quae suprema tenetis,
Nati possideant bona.
Densi quae fuerat nubibus obsita,
Puro nuda beet lumine veritas;
Aris quae latitabat,
Se jam detegat Hostia.
Per vos assiduis culta laboribus,
Tellus nos segetes pinguior attulit:
Vestram ferte superni
Messem Patris in horrea.
Jugis summa Trias, sit tibi gloria:
Quae solemne, tuo praepositis gregi
Pro mercede laboris,
Te das prodiga, praemium. Amen.

Ant. Amice.

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancteo tuo?

Qui ingreditur sine macula: et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum: et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, non movebitur in aeternum.

Gloria Patri, etc.

Ant. Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. *Mat.* 22. 12.

Capitulum.

Vae filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum, ut adderitis peccatum super peccatum, et os meum non interrogastis. ℟. Deo gratias. *Is.* 30. 1.

℟. *br.* Tu, Domine, * Qui corda nostri omnium. ℟. Tu Domine. ℣. Ostende quem elegeris accipere locum ministerii hujus. * Qui. Gloria, etc. ℟. Tu, Domine.

℣. Si dixerit mihi Dominus, Non places.
℟. Praesto sum, faciat quod bonum est coram se.
℣. Domine, exaudi, etc.
℟. Et clamor, etc.

OREMUS.

Sanguis quem effudit Christus; ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, clamat ad te, Deus, ut a Sacerdotali ministerio fures et mercenarios arceas; et qui mensae daemoniorum gaudent esse participes, ejusdem Dominici sanguinis non sinas fieri consecratores. Per eumdem.

AD VESPERAS.

Deus, in adjutorium, etc.
Ant. Omnis.

Psalmus 100.

Misericordiam et judicium: cantabo tibi, Domine.

Psallam et intelligam in via immaculata: quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus tuae.

Non proponebam ante oculos meos rem injustam; facientes praevaricationes odivi.

Non adhaesit mihi cor parvum: declinantem a me malignum non cognoscebam.

Detrahentem secreto proximo suo: hunc persequebar.

Superbo oculo et insatiabili corde: cum hoc non edebam.

Oculi mei ad fideles terrae; ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.

In matutino interficiebam omnes peccatores terrae: ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Gloria Patri, etc.

Ant. Omnis alienigena, incircumcisus corde, non ingredietur sanctuarium meum. *Ezech.* 44. 9.

Capitulum.

Dominus quasi ignis conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi; et erunt Domino offerentes sacrificia in justitia. ℟. Deo gratias. *Mach.* 3. 3.

Hymnus.

Cessant figurae, non litat impares
Impar Sacerdos amplius hostias:
Jam Pontifex fit Numen ipsum,
Seque sibi Deus Agnus offert.

Vitam cruentus qui semel obtulit,
Se non cruentum jugiter immolat:
Mactatus aris et renascens,
Perpetuo moriendo vivit.

Ad grande munus nos Deus erigit,
Quos intus ungit sacrificos sibi;
Pondus caduci sustinemus
Angelicis humeris tremendum.
O quam stupendae quas agimus vices!
Quem prona coeli curia suspicit,
Sacras ad Aras imperantes,
Nos docilis Deus ipse sentit.
Christum, Sacerdos, coelitus evocas;
Per te creatur qui creat omnia,
Immotus orbem qui gubernat,
Se tibi dat facilem moveri.
Non impotenti, criminis arbiter,
Verbo resolvis ferrea vincula:
Quas fers magistra voce, Numen
Ecce sibi putat esse leges.
Laus summa Patri, summaque Filio,
Qui se Parenti consecrat hostiam,
Sacro Ministri quo dicantur,
Chrismate, laus tibi Flamen almum. Amen.

℣. Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi.

℟. Et in conspectu omnis populi glorificabor.

Ad Magnificat, *Ant.* Elegit Sacerdotes.

Cant. B. M. V. Luc. 1.

Magnificat: anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus: in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce

enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum t recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros: Abraham et semini ejus in secula.

Gloria Patri, etc.

Ant. Elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: et mundaverunt sancta. *Mac.* 4. 42.

OREMUS.

Domine Jesu, qui temetipsum pro nobis sanctificasti, et irreprehensibiles esse praecipis, quos aliis praeesse jubes corrigendis: iis tantum reconciliationis ministerium et sanguinis tui dispensationem committe, qui morum exornantur splendore, ut ex integritate Sacerdotum, fiat salus populorum. Qui vivis et regnas.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, Deus, salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
Deus, in adjutorium, etc.
Ant. Adducam eos.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine, virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: in secula seculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri, etc.

Ant. Adducam eos in montem sanctum meum, et laetificabo eos in domo orationis meae; holocausta eorum, et victimae eorum placebunt mihi super altari meo. *Is 56. 7.*

Hymnus.

Quos sibi, nostram meditans salutem,
Nexibus sanctis Deus alligavit,
Audiant Christum docili monentem
Aure Ministri.

Vos gregi Pastor voluit praeire:
Inter et servos numerare cessans,
Intimos vobis animi recessus
Pandit amicus.

Vos decet pacem populis precari,
Moribus sanctis decet hanc mereri.
Sancta, dum legem populus requiret,
Vita loquatur.

Victimam sese dedit ipse Christus,
Victimam rursum litat hic Parenti,
Et manu vestra cadit immolatus
Ipse Sacerdos.

Sacra divinus cruor ora tingit,
Totus et vestro sedet ore Christus:
Totus ah! vestro sedeat refusus
Pectore Christus.

Laus tibi detur, Genitor, perennis;
Juge sit Nato decus, et perennem
Muneris laudem referat superni
Spiritus auctor. Amen.

Capitulum.

Qui dixit patri suo et matri suae, nescio vos: et fratribus suis, ignoro vos; et nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt. *Deut.* 33. 9.

℟. *br.* Beati * Qui habitant in domo tua, Domine. ℟. Beati. ℣. In secula seculorum laudabunt te. * Qui. Gloria Patri. ℟. Beati. *Psal.* 83. 5.

℣. Elegi abjectus esse in domo Dei mei.

℟. Magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Ad. Nunc dimittis. *Ant.* Omnes.

Canticum Simeonis. Luc. 2.

Nunc dimittis servum tuum, Domine: secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei; salutare tuum.

Quod parasti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium: et gloriam plebis tuae Israel.

Gloria Patri, etc.

Ant. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus. *Is.* 61. 9.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, qui pasceris inter lilia, coelestis nos unctionis dulcedine perfunde, quo, immaculati pudoris commendare debent conscientia et fama; ut sancti corpore et spiritus in veritate tibi serviamus, et castitatis exemplo caeteris praeluceamus. Qui vivis, etc.

LECTIONES

Pro singulis hebdomadae diebus.

DOMINICA.

Lectio j. Exod. 3.

De Libro Exodi.

Vocavit Dominus Moysen de medio rubi, et ait: Moyses, Moyses. Qui res pondit: Adsum. At ille; Ne appropies, inquit, huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in

Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui praesunt operibus: et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram quae fluit lacte et melle, ad loca Chananaei, et Hethaei, et Amorrhaei, et Pherezaei, et Haevaei, et Jebusaei. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me, viditque afflictionem eorum qui ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Lectio ij.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *c. 10.*

Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde: ille fur est et latro; qui autem intrat per ostium pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cogno-

verunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

FERIA II.

Lectio j. Num. 26.

De Libro Numerorum.

Surrexit Moyses et abiit ad Dathan et Abiron: et sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quae ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum; Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus et liberis omnique frequentia. Et ait Moyses: In hoc scietis quod Dominus miserit me ut facerem universa quae cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim: si consueta hominum morte interierint, et visitaverit eos plaga, qua et coeteri visitari solent, non me misit Dominus: sin autem novam rem fecerit

Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos et omnia quae ad eos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis.

Lectio ij.

De Actibus Apostolorum. *Cap. 1.*

Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat autem turba hominum simul fere centum viginti.) Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus-Sanctus per os David de Juda, qui fuit Dux eorum, qui comprehenderunt Jesum: qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: et Episcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intra-

vit et exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a Baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas qui cognominatus est justus, et Matthiam. Et orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nostri omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo praevaricatus est Judas ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

FERIA III.

Lectio j. Sap. 9.

De Libro Sapientiae.

Mitte (Sapientiam) de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te: scit enim illa omnia, et intelligit, et deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum juste et ero dignus sedium patris mei. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidae, et in-

certae providentiae nostrae. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore. Quae autem in coelis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum-Sanctum tuum de Altissimis: et sic correctae sint semitae eorum, qui sunt in terris, et quae tibi placent didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.

Lectio ij. Act. 13.

De Actibus Apostolorum.

Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, Prophetae, et Doctores, in quibus Barnabas, Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cirenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchae collactaneus, et Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus-Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu-Sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum. Et cum venissent Salaminam, praedicabant verbum Dei in Synagogis Judeorum. Habebant

autem et Joannem in ministerio. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum Magnum pseudo-Prophetam, Judaeum, cui nomen Barjesu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas Magus (sic enim interpretatur nomen ejus) quaerens avertere Proconsulem a fide. Saulus autem qui et Paulus, repletus Spiritu-Sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiae, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus, non videns solem usque ad tempus: et confestim cecidit in eum caligo, et tenebrae, et circuiens quaerebat qui ei manus daret.

FERIA IV.

Lectio j. 1. Reg. c. 3. 10.

De Libro primo Regum.

Venit Dominus et stetit: et vocavit sicut vocaverat secundo Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambae aures ejus. In die

illa suscitabo adversum Heli omnia quae locutus sum super domum ejus: incipiam et complebo. Praedixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in aeternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit, eos. Idcirco juravi domui Heli quod non expietur iniquitas domus ejus victimis et muneribus usque in aeternum. Dormivit autem Samuel usque mane, apperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli. Vocavit ergo Heli Samuelem, et dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Presto sum. Et interrogavit eum: Quis est sermo quem locutus est Dominus ad te? Oro te ne celaveris me; haec faciat tibi Deus, et haec addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis quae dicta sunt tibi. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.

Lectio ij.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. *c. 20. 20.*

Tunc accessit ad Jesum mater filiorum Zebedeaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? ait illi:

dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis, Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis sed quibus paratum est a Patre meo. Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

FERIA V.

Lectio j. Isai. 22.

De Isaia Propheta.

Haec dicit Dominus Deus exercituum: Vade ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi, et dices ad eum: Quid tu hic aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, excidisti

in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, et quasi amictum sic sublevabit te. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam: ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae, ignominia domus Domini tui. Et expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te. Et erit in die illa: vocabo servum meum Eliacim filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus: et erit quasi pater habitantibus Jerusalem et domui Juda, et dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.

Lectio ij. ad Galat. c. 2.

De Epist. B. Pauli Apost. ad Galatas.

Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam: et iterum reversus sum Damascum: deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim: Alium autem Apostolorum vidi

neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Deinde veni in partes Syriae, et Ciliciae. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judeae quae erant in Christo: tantum autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat: et in me clarificabant Deum.

FERIA VI.

Lectio j. Jerem. c. 1.

De Jeremia Propheta.

Factum est Verbum Domini ad me dicens: Priusquam te formarem in utero novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et Prophetam in Gentibus dedi te. Et dixi: A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et Dixit Dominus ad me: Noli dicere: Puer sum; quoniam ad omnia quae mittam te ibis; et universa quaecumque mandavero tibi loqueris. Ne timeas a facie eorum; quia tecum ego sum ut eruam te, dicit Dominus. Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum. Et dixit Dominus ad me; Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super Gentes et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices et plantes.

Lectio ij. ad Heb. c. 5.

De Epist. B. Pauli Apost. ad Hebraeos.

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit, ex eis quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

SABBATHO.

Lectio j. Ezech. c. 34.

De Ezehiele Propheta.

Fili hominis Propheta de Pastoribus Israel: Propheta, et dices pastoribus: Haec dicit Dominus Deus: Vae pastoribus Israel, qui pascebant sem etipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, et quod perierat non quaesistis. Sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset Pastor: et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso, et super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret: non erat, inquam, qui requireret. Propterea pastores audite verbum Domini: Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciem eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit ultra eis in escam.

Lecio ij. Luc. 14.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat: si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quae pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Bonum est sal: Si autem sal evanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.

LITANIÆ

In honorem Domini Nostri Jesu-Christi, Sacerdotis et Victimae, partim excerptae ex Epist. B. Pauli ad Hebraeos, et circa tempora Ordinationum praesertim dicendae.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Jesu, Sacerdos et Pontifex Altissimi, audi nos.

Jesu Agnus Dei, exaudi nos.

Pater de coelis, Deus miserere nobis.

Fili, Redemptor mundi, Deus,

Spiritus Sancte, Deus,

Sancta Trinitas, unus Deus,

Jesu, Fili Dei et Pontifex magne,

Jesu, Pontifex ex hominibus assumpte,

Jesu, Sacerdos magne super domum Dei,

Jesu Pontifex, auctor fidei et consummator,

Jesu Apostole et Pontifex confessionis nostrae,

miserere nobis.

Jesu, qui non teipsum clarificasti ut Pontifex fieres,

Jesu Sacerdos, quem, unxit Deus Spiritu-Sancto et virtute,

Jesu Pontifex secundum ordinem Melchisedech,

Jesu, ingrediens mundum ad faciendam voluntatem Dei,

miserere nobis.

Jesu Pontifex, tentate per omnia absque peccato,

Jesu pontifex, infirmitatibus nostris compa-

tiens, miserere nobis.
Jesu, manens Sacerdos in aeternum,
Jesu, Sacerdos in cruce teipsum semel offerens, et in altari jugiter immolate,
Jesu, qui non habes necessitatem pro tuis delictis hostias offerre,
Jesu, sanctorum minister et tabernaculi veri,
Jesu, Pontifex qui te ipsum obtulisti immaculatum Deo,
Jesu Victima, emundans nos ab operibus mortuis,
Jesu Pontifex, qui in diebus carnis tuae preces supplicationesque clamore et lacrymis Deo Patri obtulisti,
Jesu, Sacerdos exaudite pro reverentia,
Jesu Pontifex, qui coelos penetrasti,
Jesu, assistens Pontifex futurorum bonorum.
Jesu victima, introiens in sancta per proprium sanguinem,
Jesu Pontifiex, nunc apparens vultui Dei pro nobis,
Jesu, qui consides in dextera Dei,
Jesu, Pontifex sanctae, innocens, impollute,
Jesu, segregate a peccatoribus, et excelsior coelis facte,
Jesu qui semel oblatus es ad multorum exhaurienda peccata,
Jesu, qui secundo sine peccato apparebis expectantibus te in salutem, miserere nobis.
Jesu, Pontifex salvans in perpetuum acceden-

(miserere nobis.) (miserere nobis.)

tes ad Deum,

Jesu, semper vivens ad interpellandum pro nobis,

Jesu Pontifex, facte nobis causa salutis aeternae,

Jesu per cujus corporis oblationem sanctificati sumus,

Jesu Pontifex, per quem propalata est sanctorum via,

Jesu Victima, in cujus sanguine habemus fiduciam,

Jesu Victima, cujus sanguine novum testamentum dedicatum est,

Jesu Pontifiex per quem offerimus hostiam laudis Deo,

Jesu Pontifex, qui in quá nocte tradebaris, accepisti panem et gratias agens, dixisti: *Hoc est corpus meum*,

Jesu Pontifex, qui similiter accipiens Calicem, dixisti: *Hic Calix novum Testamentum est in meo sanguine*,

Jesu Pontifex, qui dixisti Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*,

Jesu Sacerdos, qui fecisti nos regnum et Sacerdotes, Deo et Patri,

Jesu Sacerdos, qui teipsum sanctificas ut sanctificati simus in veritate,

Jesu Sacerdos, qui sacrificio tuo opus consummasti quod dedit tibi Pater,

Jesu Pontifex, qui dilexisti et lavisti nos a peccatis in sanguine tuo,

Jesu Victima, qui tradidisti temetipsum pro

miserere nobis.

miserere nobis.

nobis oblationem et hostiam in odorem suavitatis,

Jesu Pontifex, qui dilexisti, sanctificasti et mundasti Ecclesiam tuam lavacro aquae in verbo vitae,

Jesu, per quem adire possumus cum fiducia ad thronum gratiae,

Jesu Sacerdos, et Victima heri, hodie, et in seecula,

miserere nobis.

Jesu Pontifex et Agnus Dei, de quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum, miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis, Jesu.

Propitius esto, Exaudi nos, Jesu.

Ab omni malo, Libera nos Jesu.

A temerario in Clerum ingressu,

A peccato sacrilegii,

A spiritu incontinentiae,

A turpi quaestu,

Ab omni simoniae labe,

Ab indigna opum ecclesiasticarum dispensatione,

Ab amore mundi, ejusque pomparum,

Ab indigna mysteriorum celebratione,

Libera nos, Jesu.

Per aeternum Sacerdotium tuum,

Per sanctam Divinitatis unctionem, qua a Deo Patre in Sacerdotem inauguratus fuisti,

Per sacerdotalem spiritum tuum,

Per ministerium illud quo Patrem tuum super terram clarificasti,

Per cruentam tui ipsius immolationem semel in cruce factam,

Libera

Per illud idem sacrificium in altari quotidie renovatum,
Per divinam illam potestatem, quam in Sacerdotibus tuis, unicus et invisibilis Sacerdos exerces, libera nos Jesu.

libera nos, Jesu.

Ut omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta Religione conservare digneris, te rogamus audi nos.
Ut fiat in illis Spiritus Sacerdotii tui,
Ut labia Sacerdotum scientiam custodiant,
Ut in messem tuam mittas operarios inconfusibiles,
Ut ministros tuos efficias flammam ignis,
Ut suscites Pastores secundum cor tuum,
Ut omnes Sacerdotio fungentes irreprehensibiles sint et sine macula,
Ut qui viderint Ministros altaris, Dominum venerentur,
Ut sint offerentes tibi sacrificia in justitia,
Ut per eos sanctissimi Sacramenti cultum ubique promovere digneris,

Te rogamus, audi nos.

Sacerdos et Victima, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis, Jesu.
Jesu Sacerdos, Audi nos.
Jesu Sacerdos, Exaudi nos.

OREMUS.

Domine Jesu, Apostole et Pontifex Confessionis nostrae, qui cum in forma Dei esses, exinanisti temetipsum, et per omnia fratribus similari voluisti, ut misericors fieres et fidelis Pontifex ad Deum, et repropitiares delicta populi; compatere, quaesumus, infirmitatibus nostris; emunda per sanguinem tuum conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi; et praesta, ut adeuntes cum fiducia ad thronum gratiae, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Qui vivis et regnas, etc.

EXORTATIO CHRISTI.

ad Sacerdotes, rythmice expressa.

Piscatores hominum, Sacerdotes mei,
Praecones veridici, lucernae diei,
Charitatis radio fulgentes, et spei,
Auribus percipite verba oris mei.
  Vos in sanctuario mihi deservitis:
Vos vocavi Palmites, Ego vera Vitis:
Cavete ne steriles aut inanes sitis,
Si mecum perpetuo vivere velitis.
  Vos estis catholicae legis protectores,
Sal terrae, lux hominum, ovium pastores,
Muri Domus Israel, morum correctores,
Vigiles Ecclesiae, gentium doctores.

Si legis protexio cadat, lex labetur;
Si sal evanuerit, in quo salietur?
Nisi lux appareat, via nescietur:
Et ni pastor vigilet, ovile frangetur.
Vos cepistis vineam meam procurare:
Hanc doctrinae rivulis debetis rigare,
Spinas atque tribulos prorsus extirpare;
Ut radices fidei possint germinare.
Vos estis in area boves triturantes,
Prudenter a palea grana separantes.
Vos habent pro speculo, legem ignorantes
Populi, qui fragiles sunt et inconstantes.
Quidquid vident Laici vobis displicere,
Dicunt procul dubio, sibi non licere,
Et quidquid vos opere vident adimplere,
Credunt esse licitum et culpa carere.
Cum pastores ovium sitis constituti,
Non estote desides sicut canes muti;
Vobis non deficiant latratus acuti,
Lupus rapax invidet ovium saluti.
Grex fidelis triplici cibo sustinetur:
Meo sacro corpore, quo grex augetur:
Sermonis compendio, quod discrete detur:
Ciboque corporeo, ne periclitetur.
Omnibus tenemini vestris praedicare:
Sed quid, qualiter, ubi, quando, quare,
Debetis sollicite praeconsiderare,
Ne quis in officio dicat vos errare.
Spectat ad officium vestrae dignitatis,
Omnibus petentibus mea dare gratis,
Nec cujusquam hominum munera pendatis;
Ne cum Giezi pariter lepram incurratis.

Gratis Eucharistiam plebi ministrare,
Gratis et absolvere, gratis baptizare:
Vobis data caelitus cuncta gratis dare,
Ovium salutem sedulo curare.
Vestra conversatio sit religiosa,
Munda conscientia, vita virtuosa,
Regularis habitus, mens gratiosa;
Nulla vos coinquinet labes criminosa.
Nullus fastus elevet ad id quod non estis:
Gravis in intuitu habitus sit testis.
Nihil vos illaqueet curis inhonestis,
Quibus claves traditae sunt regni coelestis.
Estote breviloqui, ne vos ad reatum
Pertrahat loquacitas, nutrix vanitatum:
Verbum quod loquimini sit abbreviatum:
Nam in multiloquio non deest peccatum.
Estote benevoli, sobri, prudentes,
Justi, casti, simplices, pii, patientes,
Hospitales, humiles, subditos docentes,
Consolantes miseros, pravos corrigentes.
Nam si sic gesseritis curam pastoralem,
Verequi vixeritis vitam spiritualem,
Postquam exueritis chlamydem carnalem,
Ipse vobis conferam stolam immortalem.

FINIS.

INDEX RERUM

Quae hoc Libello continentur.

IN PARTE PRIMA.

IN SECUNDA PARTE.

IN TERTIA PARTE.